



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Liber IX. De Corpore naturali incorruptibili siue cælesti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

LIBER NONVS,

D E

Corpore naturali incorruptibili siue cœlesti.

TRACTATVS PRIMVS.

De Cœlorum essentia.

CAPVT PRIMVM.

An Cœlis sint compositi?

1.  ORPVS incorruptibile, atque cœleste in genere sumptum à nobis semotissimum quidem est, in paucisque periculum sui permittit: idcirco non tot de eo, quot de his inferioribus sciri possunt: experientia enim sciens mater est, prolemque sibi similem parturit. Cœterum plura de eo probabiliter disseri, & nonnulla euidenter demonstrari possunt, in quibus astrologorum placitis, quoad eius fieri potest, me libenter addicam, cum cuius in sua arte credendum sit, vt Aristoteles & fecit, & consuluit. Assero ergo primò: probabile est, corpora cœlestia materia, & forma constare, ac substantialiter simplicia non esse: ita ex antiquis Philosophis Pythagoras, Democritus, Empedocles, Plato; & ex Theologis Thomas, Bonauentura, Capreolus, Hierneus, Suarez, Hurtado, alique plerique. Suadetur primò ex illo Sapientia 1. 1. *Omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa.* Vbi nomine orbis terrarum materia constantis intelligi debere non solum terram, verum etiam cælum, totumque mundum corporeum docet August. lib. 1. de Genes. contra Manichæos cap. 5. ibi: *Prima ergo materia facta est confusa, & informis: unde omnia fierent, quæ distincta, atque formata sunt: quod credo à Græcis chaos appellari: sic enim & alio loco legimus dictum in laudibus Dei: qui fecisti mundum de materia informi: quod aliqui codices habent de materia inuisa.* Suadetur secundò: quia cum homo cœlis longè perfectior à materia concretionem defecatus non sit, non conspicio, cur ea perfectio cœlis tribuenda sit, quæ materiam excludant, & omnis compositionis essentialis expertes sint. Huic assertioni id difficultatem facessit non modicam, an cœlorum materia sit eiusdem speciei cum materia corporum sublunarium, vel potius diuersa. Sed enim supra lib. 2. huius operis tr. 5. cap. 2. & cap. 3. vtramque partem probabilem esse, & problematice defendi posse, multis ostendi: vt non sit opus in præsentia quidquam ibi disputatis adicere.

2. Assero secundò: probabile est, cœlos esse corpora essentialiter simplicia, & quæ materia, & forma minime componantur: ita Auerroës, Aureolus, Durandus, Gabriel, Bassolis, & alij plures. Proba-

tur assertio, quia non repugnat corpus completum essentialiter simplex, vt lib. 3. tr. 2. per totum propugnari: verisimile igitur est, illud de facto existere: quemadmodum enim in ordine spirituum alij incompleti vt animi rationales, alij compleri, vt Angeli à Deo creati sunt: ita similiter in serie corporum alia incompleta, vt materia primæ: alia vero completa actu producta esse credendum: quæ quidem non alia, quàm cœlos posse esse conspicio. Assero tertio: cœli sunt continue compositi: ita omnes Doctores: & patet manifestè: quia tametsi corpori continuo, non composito conuenire possit motus rectus, at non motus circularis: quod enim circulariter, & in orbem mouetur, est in eodem loco adæquato: tantumque loca inadæquata mutat; quatenus nimirum quæuis eius pars est in diuerso loco ab eo, quem occupabat antea: quia tamen cuiuslibet altera in eodem succedit loco, ob id totum ex omnibus coalescens semper est in eodem spatio loci, eundemque locum totalem, siue adæquatum possidet. Porro cœli mouentur circulariter: quomodo ergo non consent partibus continuis inter se realiter distinctis? Atque hæcenus de cœlis mobilibus, & Emphyreo subiectis.

3. Assero quartò: probabile est, cælum emphyreum neque essentialiter, id est ex materia, & forma, neque integraliter, hoc est ex partibus continuis esse compositum. Hanc conclusionem statuimus supra lib. 3. tr. 1. c. 2. & tr. 2. c. 2. Suadetur autem: quia vt locis proximè indicatis ostensum est, nulla apparet repugnantia in corpore duplicis illius compositionis, nempe essentialis, & integralis experti: non est ergo, cur cælum emphyreum non sit eius conditionis, cum id eius perfectionem maximopere commendat. Rursus: ideo cœli mobiles continue saltem, compositi sunt, quia mouentur, & circum nos irrequieto cursu properant: at cælum emphyreum immobile est, vt fatentur omnes, vtque inde constat, quod sit Beatorum sedes, & habitaculum, cui eius muneri quis non videat conuenire, vt non sit in perpetuo motu, sed potius stabile, & fixum? Denique non obstat in contrarium, quod dicitur Apocalyp. c. 21. *Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata: primum fundamentum iaspis, &c.* Hæc enim, & similia, etsi compositionem continuam, & integram sonent, hæc tamen accipienda esse nisi mystice, de variis scilicet virtutibus, & donis, docent ex nostris Alcasar, & Ribera, cæterique etiam interpretes, tum nostri, tum etiã exteri. Assero denique quintò: probabile est,

est, cælum æmphyreum esse compositum, cum integraliter, cum etiam essentialiter. Hæc assertio constat ex dictis supra in simili de cælis mobilibus.

CAPVT II.

An cæli à quatuor elementis formaliter, aut virtualiter sumptis specie differant.

4. Hoc estian cæli vel formas substantiales elementorum, vel certe eorum virtutes, nempe quatuor principes qualitates, calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem suo sibi iure vendicent. Peripathetici ferme omnes cum Aristotele partem affirmantem tuerentur; unde in proverbium abiit: *quinta essentia Peripateticorum*. Mouentur primò: quia cælum incorruptibile suo prè ingenio est, ut inferius ostendetur, & experientia ipsa testatissimum videtur: at si elementis formaliter sumptis constaret, quam hæc corruptibilia sunt, tam corruptioni obnoxium esset: quod si elementis virtualiter sumptis, id est, calore, & frigore, &c. constaret, cum hæc qualitates contrariæ sint: mutuamque interitum sibi moliantur, non possent corpora cælestia non corrumpi vel à seipsis inuicem, vel ab igne sibi contiguo. Mouentur secundò: omne corpus elementis formaliter, aut virtualiter sumptis constans in loco alicuius elementi esse postulat, eius videlicet, quod in eo prædominatur: sic lapis, in quo terra prædominatur, telluris centrum sibi vendicat; exhalationes verò, & vapores, in quibus aer regnat, huius locum petunt: liquores autem pari ratione aquæ sedem sibi præstituant: at cælum non petit locum ullius elementi, sed potius de se suprà omnia elementa eminet. Mouentur terciò: quia cum cælum sit commune, & vniuersale agens, quo hæc inferiora, & sublunaria reguntur, & conseruantur, æquum fuit, ut ab iis non minus dignitate naturæ, quam loco dissideret: atque adeò nec eorum formas, nec eorum virtutes, sed potius alias longe altioris ordinis sibi vendicaret.

5. Cæterum plerique Philosophi ante Aristotelem, & non pauci Astronomi, ac sacræ Scripturæ interpretes negatiuam quæstionem partem amplectuntur. Primò: quia quidquid ex aliquo elemento procreatur, id qualitates primarias eius elementi sortitur, qua ratione mixta omnia sublunaria qualitates quatuor elementorum sibi vendicant; quia ex quatuor elementis oriunda sunt: at cælum ex aquis à Deo procreatum esse haud leuiter probari potest eo argumento, quod supra lib. 2. tract. 5. c. 3. ex Molina expendimus. Deinde quia id plerique Patres edocent, præsertim Theodoretus quæst. 11. in Genesim ibi: *Propterea appellatum est firmamentum, quod ex aqua, quæ prius fluxa, & liquabilis vehementissimè spissata, fortissimèque indurata, concretum fuerit. Et Beda in suo hexam ibi: in media aquarum firmatum esse constat syderum cælum, nec aliquid prohibet, ut de aquis factum esse credatur: qui enim cristallini lapidis, quanta firmitas, quæ sit perspicuitas, ac puritas, nonimus, quem de aquarum concretionem certum est, procreatum esse: quid obstat credi, quod idem dispositor in firmamento cæli substantiam solidarit aquarum.*

6. Mouentur secundò: quia firmamento, siue cælo syderum aquæ supernant, illudque in modum

globi circumfluunt; ac proinde cælum quoddam constituunt, cum nomine cæli nihil aliud intelligatur, quàm globus aliquis elementis eminentior, iisque vndique circumfusus: ergo iam cælum aliquod ab aqua non differt. Antecedens probari potest, & solet ex illo Genes. 1. cap. ibi: *fieri firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*. Deinde quia id plerique Patres edocent, ac præsertim Iustinus Martyr respondens ad 93. quæstionem Orthodoxorum, ubi huius rei hanc rationem tradit inquit: *terga cæli recta aquis esse, secundum illud: qui regis aquis superiora eius: earum vero aquarum duplicem esse usum: alterum, ad immensum tot, tantorumque syderum ardorem, ne penitus omnia consumantur, sua refrigeratione mitigandum, atque temperandum: alterum, ut earum pondere dorsum cæli urgeatur, ac prematur deorsum, ne crebro, ac violento ventorum impulsu concussus huc illuc ageretur.*

7. Mouentur terciò: quia raritas, & densitas sunt effectus primarum qualitarum: ignis enim, quia aëre calidior, ideo eo rarior est: & aer, quia aqua humidior, ea etiam rarior est: è contrario vero terra, quia præ cæteris elementis frigiditatem cum siccitate in excellenti gradu coniunctam habet; ideo cæteris elementis densior est: aqua etiam ratione maioris frigiditatis aëre, & igne densior est. Tum sic, ubi sunt effectus proprii primarum qualitarum, ibi primas qualitates reperiri necesse est: at in cælis sunt effectus primarum qualitarum, raritas nimirum, ac densitas: siquid cælum est diaphanum valde, ut ex superiorum lumine ad nos transmissione constat: more igitur aëris diaphani rarior existit. Deinde ad polum antarcticum conspiciuntur nocte suda quidam veluti hiatus; qui aliud non sunt, quam partes cæli rariores, quæ quia lucem adeo condensatam, ac reliquæ partes cæli magis densam non suscipiunt, ideo vacuitates quasdam, & foramina referunt.

8. Mouentur quartò: quia colores sunt effectus primarum qualitarum, & ex earum multiplici temperie, & commixtione multi, ac varij oriuntur: siquidem humiditas, & frigiditas candorem pariunt, ut in niue, ac lacte videre est: humiditas, & caliditas ruborem generant, ut in sanguine conspiciere est: siccitas, ac frigiditas atrum, obscurumque colorem efficiunt, ut in melancholia, ac terra sibi affinis cernere est: caliditas autem, & siccitas flauitium inferunt, ut videre est in flauabili, melle, & auro. Tum sic, ubi sunt effectus primarum qualitarum, ibi etiam reperiri debent: at colores, quos primarum qualitarum effectus esse, nuper ostensum est, cælo insunt; cælum enim conspiciamus, conspici autem non posset, si suapte natura decolor esset.

9. Hæc in vtramque partem disputari assolent, quæ certe neutram sententiam demonstrant, alterutram tamen probabilem efficiunt. Quo circa vtramque sententiam problematice defendi; & ad vtriusque argumenta responderi posse censeo, & quidem consultius mihi visum est in materia longissime à nobis posita; & ut experientia, sic etiam scientia parum obuia nihil certi definire, quàm incerta pro certis, & obscura pro claris diuendere. Ad primum ergo prioris sententiæ argumentum cap. 5. & 6. constabit. Ad secundum respondeo: quemadmodum quoduis corpus mixtum sublunare quatuor elementis virtualiter, aut formaliter sumptis constat, quin centrum quatuor

quatuor elementorum postulet, aliàs quatuor centris gauderent: ita similiter corpora cœlestia quantumlibet quatuor elementis mixta, nullius tamen elementi sedem sibi vendicabunt: equidem sicut in opposita sententia temperies primarum qualitatum non eandem ubique grauitatem, aut leuitatem infert, sed in aliquibus mixtis maiorem, in aliis minorem; ita ea temperies talis esse potest, talibusque accidentibus coniuncta, vt nullam grauitatem, aut leuitatem inferat, sed potius corpus, quod temperat, extra locum grauium, & leuium, & circum illum constituat. Ad tertium respondeo in primis: cœlum non est perfectius sub-lunariis substantiis, cum earum plures animatæ sint. Deinde esto iis perfectius sit, idque ad illarum regimen oporteat; certè maior illa perfectio salua manebit, quantumlibet cœlum quatuor primas qualitates elementorum, siue eorum virtutes cum iis inferiores cōmunes habeat: videlicet, quia alias peculiare qualitates sortiri potest, quibus cuncta sibi subiecta longissimis interuallis superet.

10.

Ad primum argumentum posterioris sententiæ respondeo, cœlos ex aquis minimè fabricatos esse, sed vel primò die simul omnes ex alia materia speciei diuersæ factos fuisse quod quatione euenire potuerit latè ostensum est à nobis suprà lib. 2. tr. 6. c. 3. vel certè esse corpora simplicia, & nulla materia nedum aquarum constantia, vt colligi potest ex dictis tum cap. præced. tum etiam lib. 3. huius operis tr. 2. cum ageremus de non repugnantia corporis simplicis, ac seipso, & sine adiuncta forma essentialiter completi. Verum enim verò si cœli materia eiusdem speciei cum corporibus sublunariis constant, vt probabile est, probabiliter etiam dici potest, cœlos ex aquis fabricatos esse, quin tamen aut forma aquæ, aut eius qualitates primæ in iis remanserint. Quamquam enim iis generationibus quæ serie quadam causarum secundarum eueniunt accidentia aliqua corrupti in genito maneant, vel quoad speciem, vel, quod probabilius est, quoad indiuiduum: ac proinde quæ ex elementis de facto procreantur, eorum primis qualitatibus gaudeant: cœrum in prima generatione cœlorum mobilium ex aquis à solo Deo facta, & longè diuersi ordinis à quavis alia longè aliter vsuuenisse credendum est. Ad secundum respondeo negato antecedenti; ad primam eius probationem factum est satis cit. l. 1. tr. 6. c. 3. Ad secundam probationem ex Iustino Martyre deductam dici potest, cum cœlum formaliter calidum non sit, necesse non esse, vt aquis subiaceat ad hoc, vt eius calor, ardorque temperetur. Ad tertiam rationem ex eo deductam dici etiam debet, violentos ventorum flatus nullum cœlo periculum creare posse, cum enim Philosophia magistra venti ne supremam quidem aëris regionem attingere, eiusve serenitatem miscere, aut temerare possit, vt eleganter tetigit ille.

*nubes excedit olympus
pacem summa tenent.*

Qui fieri poterit, vt cœlum vsque auolare, eiusque cardines concutere possint: equidem pari ratione persuaderi posset figmentum illud poeticum, quo dicitur Deus luctantes ventos, tempestatesque sonoras speluncis addidisse atris.

*Ni faciat, maria, ac terras, cœlumque profundū,
Quippe ferat rapidis secū, verrantque per auras.*

11.

Ad tertium respondeo: raritas, ac densitas non semper ab iisdem causis proficiuntur, sed inter-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

dum ab his, interdum verò ab aliis, non solum diuersis, verum etiam oppositis; cum calor lutum condenser, & induret; frigus verò aquam gelascere faciat, eique densitatem tribuat: quocirca tametsi raritas, ac densitas in sublunariis primarum qualitatum soboles sint, non erit, cur in cœlis ab iis, & non aliis longè diuersæ rationis proficiantur. Ad postremum similiter respondeo: colores tametsi in nobis effectus primarum qualitatum sint, in cœlo tamen ab iis qualitatibus diuersi ordinis proficisci posse. Non deerunt etiam, qui non veros colores ab irradiatione lucis distinctos, sed solū apparētes cœlo tribuant: quorū solutio probabilior est, si colores aliqui à luce corpore illusa distinguuntur; de quo inferius l. 10. tr. 4. c. 2.

CAPUT III.

An, aut qualenus Cæli inter se specie differant?

12.

Aspero primò: Planetæ inter se specie differunt: ita D. Thomas, Albertus, Ferrariensis, Hurtadus, Conimbricenses, & cum Ptolemæo plerique Astronomi. Probatur assertio: primò, quia quæ motus contrarios, & oppositos sibi vendicant, ea specie distinguuntur: qua ratione elementa ob diuersos motus sursum, atque deorsum specie distinguuntur: at Planetæ longè diuersos motus sibi vendicant, & super diuersos polos diuersa celeritate rotantur. Deinde quæ diuersas operationes, & influxus non per accidens, aut fortuito, sed per se inenitabiliter habent, ea specie non distingui nequeunt: aliàs cur equus, & leo specie distinguantur? at Planetæ longè diuersas operationes, atque influxus sortiuntur: siquidem luna humiditatem, Mars calorem, & siccitatem, Saturnus frigiditatem & siccitatem; & sic de reliquis astris in hæc inferiora influunt. Præterea, vt aliis argumentis superfedeam, an sol astrorum princeps, temporum arbiter, lucis dispensator, dei parens, mundi oculus, cœli cor, centrumque, telluris fecunditas, maris gratia, animantium vigor, naturæ pulchritudo, vniuersi decor, ac diuinæ, & inaccessæ lucis perfecta imago; an, inquam, phœbeum istud iubar, orbisque pulcherrima lampas cum quantæuis ignobilitatis astro eiusdem speciei credi potest?

13.

Aspero secundò: orbes etiam, siue sphaeræ cœlestes inter se inuicem specie differunt. Hæc assertio suaderi potest iisdem fundamentis, quibus superior: & vltèrius addi potest hæc congruentia: quia quemadmodum diuersa specie elementa diuersorum specie animalium receptacula sunt: & è contrario diuersa specie animalia diuersis specie elementis velut habitaculis gaudent, ac, vt cecinit ille Metamorphos. 1.

Cesserunt nitibus habitande piscibus undæ.

Terra feras cepit, volucres agatilis ær.

ita similiter credendum est, diuersos specie planetas diuersos specie orbes, quibus insideant, postulare.

14.

Aspero tertio: Planetæ, siue stellæ errantes, necnon fixæ à suis orbibus specie differunt: ita Molina, Hurtadus, & alij communiter. Hæc assertio etiam suaderi potest iisdem fundamentis: namque Planetæ omnes, excepto sole, habent epicyclos, in quibus diuerso motu à suorum orbium motu circumuehantur: deinde omnes stellæ, tam fixæ,

ff quàm

quàm errantes maiori densitate, ac maiori claritate, & splendore potiuntur, quàm orbes, quibus infidetur, idque perpetuò, & inuitabiliter. Præterea influxus quosdā habent, qui in orbes suos minime conueniunt: neque enim solum Lunæ reciproca- tionem maris causat, sicut ipsum syderis Lunæ: nec etiam orbis, solis heliotropij, & scorpiuri flores circumagitur, sed ipse est, ut compertum est: neque cælum, in quo vrsā minor fixa, aliudve astrum eius cæli magnetem, aut ferrum magnete tactum ad se conuertit, sed eiusmodi influxus soli vrsā minori competit. Video Alexandrum, Auerroem, Iandunum, & Durandum in ea sententia esse, ut existiment, nec orbes cælestes ab omnibus, nec Planetas à Planeteis, nec hos à stellis fixis, nec fixas, aut errantes à suis orbibus specie differre. Cæterum video etiam nullum huius paradoxij fundamentum esse, quod solutione egeat.

CAPVT IV.

*An cæli solidi, vel potius liquidi;
ac fluidi sint?*

15.

Quamquam inspecta autoritate ecclesiasti-
corum Scriptorum, præsertim Chrysostomi,
Iustini, & Origenis, probabilis sit sententia tenēs
cælos liquidos, ac fluidos esse: cæterum probabili-
or, & communior est sententia opposita, quam
suadeo: Primò ex illo Iobi cap. 37. ibi: *Tu forsitan
cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi, quasi ære
fusi sunt.* Deinde quia probabile est, cælum esse
quantam quādam essentiam incorruptibilem, id-
que complures aduersarij fatentur: at si fluidum,
ac liquidum esset, eo ipso corruptibile esset: ergo,
&c. Minor suadetur, quia conseruatio rei in suo
esse non tantum ab vnione essentiali materiæ, &
formæ, verum etiam ab vnione continuatiua par-
tium eius integralium dependet: vnde si partes
aquæ segregarentur, omnesque vnione continuati-
ua abfoluerentur; cæte aqua ita segregata, &
dissoluta illicò periret: at cælum eo ipso, quod
fluidum, ac tranabile sit more aëris; quo circum-
fundimur, vnio eius continuatiua quaqua versus
destrui posset, sicut de facto quotidie destruitur
versus eas partes, per quas sydera cursus suos cō-
tendunt: ergo cælum corruptibile non esse non
posset. Præterea præscindendo à corruptibilitate,
& incorruptibilitate cæli, quarū alterutrum proba-
bilis est, ita argumentor: nullum corpus per se
moueri potest versus diuersas partes; ab oriente
v.g. ad occidentem; & simul semelque ab occiden-
te in orientem: sed si vterque motus ei simul con-
uenit, alter ratione sui, alter ratione alterius cor-
potis, cuius impetum suscipit, ei conueniet: quod
ipsa experientia euidenter demonstrat: equis enim
non videat, muscam se sola motam versus vnā
tantum partem moueri posse, ab alio vero corpo-
re, cui affidet, motum, versus duas partes moueri
posse; ut cum curru cui inhaeret, orientem versus
raptato; ipsa in occidentem pergit: at stellæ ab
orientem mouentur, ut Astrologi compertum ha-
bent: igitur alter eorum motuum cuilibet stellæ
ratione sui, alter vero ratione orbis, cui infixæ est,
conueniet: ac proinde cælum non est fluidum.

16.

Deinde si cæli essent fluidi, ac agitabiles aëriæ
regionis mote, cæte sydera cælos cursu suo scin-
dentia, ac mole suo verberantia sonitum procul-

dubio ederent; & eiusmodi sonitus pro corporum
collidentium, atque frangentium magnitudine
ingens esset, talisque qui à nobis longè, lateque,
audiri posset: haud aliter ac syderum lux, quan-
tumuis à nobis distita, quæ tamen est eius magni-
tudo, & claritas, se se non celat, & in oculos no-
stros illicò incurrit. Consequens est absurdum:
Sequela vero perspicua est: si enima uicula quæ-
uis quories elementi volubilis spatia tranat late-
rum plausu; alarum concursu, atque aëris multi-
plici verbere sonitum aliquem, eumque interdum
non exiguum, edit; quatenus, qualisque censum
est flagor ille, quo ingentis terramque superan-
tis magnitudinis astra per serenos, liquidosque
cæli tractus euoluuntur. Vtcrius: si cæli essent
fluidi, ac liquabiles, stellæ fixæ eundem semper si-
tum non haberent, nec eandem inter se, aut à no-
bis distantiam seruarent, sed potius quæ est cælo-
rum, quibus innatant, volubilitas, & inconstantia
huc illuc passim fluitarent, & modò ad se accede-
rent, modo verò à se, nobisque recederent. Conse-
quens falsum esse ab Astrologis demonstratur.

Hæc quamuis ita sint, contrariæ tamen senten-
tiæ probabilitatem non tollunt: quippe, quibus
haud difficulter responderi potest: Ad primum eo-
rum dicendum est, locum illum Iobi cap. 37. non
aliud habere sensum, quam quod cælum, quam-
uis fluxum, ac stabile sit, non minus tamen con-
stans, ac perpetuum sit, quam si solidissimum es-
set, atque ære fustum. Cui interpretationi fauet
Pater Pineda obseruans ex Caiet. nec non Tiguri-
na, & Regia versione cælos eo loco Iobi pro æ-
ria regione sumi: constat enim aërem nullatenus
esse durum, solidumve, sed potius fluidum.
Ad secundum dicendum est, valde probabile esse,
quod cælum, de quo agimus, sit corruptibile, ut
ostendetur infra. Ad tertium dicendum est; etsi
in hoc inferiori, & sublunari mundo nullum cor-
pus contrariis motibus agatur, nisi vnus illorum
motuum ei per se conueniat, & alter per accidens
tantum, ac ratione alterius corporis illud secum
agitantis: at oppositum euenire posse; nihilque
esse repugnantia in eo quod duo motus contrarij
per se, ut aiunt, eidem corpori conueniant: cur
enim aliquod corpus versus orientem sponte sua
concitum non possit, ut ab alio corpore, sic etiam
à se ipso, præsertim adiuuante, & concurrente in-
telligentia retrahi, & ad orientem conuerti, at-
que moueri? Tale quid ergo de facto in cælis ac-
cidere credendum est, etsi quidem quod accadat
facilius propugnari potest, quam impugnari.

Ad quarum dicendum est; cælum, etsi corpus
fluidum, ac spirabile sit, cum tamen diuersæ spe-
ciei ab aëre sit, incapax soni esse posse. Qua ratio-
ne in imis aquarum sedibus, vel nullus iuxta non
plures, vel cæte perexiguus sonitus dari potest,
tamen si elementum aquæ sit fluidum, ac molle. Ad
quintum, & postremum dicendum est, quemad-
modum lapis, quantumuis longo per aëra tractu
feratur, aëque per quem fertur, volubilis, & in-
constans sit, si tamen ab eodem loco ad centrum
demittatur, etsi millies demittatur, semper tamen
eadem via recta descendet: & secluso agente aliquo
extrinseco, neque ad hanc, nec ad illam partem se
flectet, descensumve suum obliquabit: ita similiter
sydera eadem via, eademque orbita semper cursus
suos perficient, quin vnquam magis, minufve ad
se accedant, vel à se recedant, quantumlibet cæli,
per quos euoluuntur fluidi, atque agitabiles sint.

Cuius

17.

18.

Cuius ratio à priori est: quia vel ille motus est naturalis; & sic erit semper vniformis, cum natura æqualitatis, ac tenoris amans sit: vel est ab extrinseco, scilicet à Deo, aut intelligentia: & sic multo minus auius esse poterit, aut erraticus, quæ videlicet est alterutrius agentis perfectio.

CAPVT V.

An Cælum suapte natura sit corruptibile?

19. **P**Artem affirmatiuam tuentur nec pauci, nec indocti Authores: præterquam enim quod ei subscribunt Stoici, Platonici, omnesque Philosophi Aristotele antiquiores; eam iam pridem à scholis exterminatam in lucem iterum reuocarunt plures nostri sæculi Mathematici, & reliquorum facile princeps P. Chrystophorus Clavius in sphaera eam velut magis probabilem amplectitur. In eadem etiam sententia est P. Martinus Delrius insignis Scripturæ interpres in c. 1. Genesios, ubi pro ea laudat Theodoretum, Basilium, Ambrosium, Damascenum, Iustinum, Irenæum, Chrysostomum, aliosque per plures Ecclesiæ Patres. Missis autem reliquorum testimoniis, vnus Chrysostomi verba tacere non libet: qui Hom. 10. ad populum Antiochenum sic fatur: *hic quidem colorum pulchritudinem narrans sic inquit: cæli enarrant gloriam Dei: alter verò demonstrans, quod etsi pulchrum & magnum, tamen est corruptibile sic inquit: initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Psalm. 101. Et rursum paulo inferius: ipse de creaturis iterum omnibus disseram demonstrans quod non solus sol, sed & omnis mundus corruptibilis est.*

20. **P**rimò ergo suaderi potest autoritate Patrum. Secundò, quia cæli aliquando peribunt, & corrumpentur: ergo suapte natura corruptibiles sunt. Consequentia perspicua est: cur enim Deus cælum aliquando corrumpendum, suapte tamen natura incorruptibile condidisset? an non satius esset illud corruptibile condidisse. Antecedens autem suaderetur, tum ex loco illo Psalmi 201. nuper citato, tum ex illo Ecclesiastici cap. 17. ibi: *quid lucidus sole? & hic deficiet: tum ex illo Lucæ 21. cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Tum demum, vt aliis testimoniis superseceam, ex illo Petri cap. 3. *cæli magno impetu transibunt, elementa verò calore soluentur.* Tertiò, quia quod quatuor primis qualitatibus inuicem contrariis compactum est, eo ipso corruptibile est: qua ratione corpora omnia sublunaria corruptioni obnoxia sunt: at cælestia corpora quatuor primis qualitatibus affecta esse, iis rationibus suaderi potest, quæ supra cap. 2. allatæ sunt. Quartò, quia tametsi cæli quatuor primis qualitatibus affecti non sint, adhuc eorum corruptibilitas probari potest: siquidem omne quod quatuor primas qualitates inuicem inimicas, & contrarias sibi vendicat, eo ipso corruptibile est ob bellum illud intestinum, quo nihil periculosius, aut ad interitum, & corruptionem accommodatius esse potest: ergo pari ratione, quod motus inuicem contrarios, & inimicos sibi vendicat, non poterit corruptibile esse. At cælum diuersis, contrariisque motibus agitari Astrologis procul-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

dubio credendum est. Quintò, ac postremo, vt alia argumenta leuiora prætermittam. Astra cælorum suapte natura corruptibilia sunt: ergo & cæli, quibus insunt; cum hi syderibus suis perfectioris naturæ, aut maioris incorruptionis esse nequeant. Consequentia perspicua est. Antecedens suadetur, quia stellæ aliquæ de nouo apparent, ac denuo euanescent, & corrumpuntur: inter quas celebris fuit illa, quæ in constellatione Cassiopeæ apparuit anno salutis nostræ 1571. & post biennium euanuit. Rursus vt refert D. Augustinus l. 21. de ciuitat. Dei c. 8. sydus Veneris dicitur semel murasse figuram, cursum, atque magnitudinem: idque regnante Ogyge accidisse nobiles Astronomi perhibuerunt.

In contraria sententia cælis incorruptibilitatem annuente sunt cum Aristotele omnes ferme eius interpretes, & scholasticæ Theologiæ Doctores tantum non omnes, sequuti Dionysium c. 4. de diuin. nominib. Qui arguunt primò: quia vt docet Chrysostomus Hom. 10. ad populum Antiochenum non longè à fine, & experientia ipsa rerum omnium intereuntium constat, omnis corruptibilitas ex lucta, & discordia quatuor primarum qualitarum proficiscitur. At cælos quatuor illis qualitatibus distinctos esse suaderi potest iis argumentis, quæ supra cap. 2. fusè expensa sunt. Secundò, quia si lunæ orbis suapte natura corruptibilis esset, hæcenus corruptus esset; siquidem elementi voracis sibi vnde quaque suffusi, atque contigui vim, atque ardorem tot sæculis euadere non potuisset. Tertiò, quia ad perfectionem, ac ornatum vniuersi attinet, vt sicuti in eo sunt corpora animata, & corpora etiam inanimata; ita etiam in eo sint corpora corruptibilia, & corpora etiam corruptioni minimè subiecta. Quartò, quia cum mundus hic inferior ab illo superiori, ac cælesti tantopere dependeat, & perpetuo contineatur; non poterit hic non esse magis incorruptibilis, quam ille: propter quod enim vnum quodque tale & illud magis tale: at hic mundus inferior, ac sub lunaris quoad speciem naturaliter incorruptibilis est: ergo & ille quoad indiuiduum incorruptibilis naturaliter erit. Maior perspicua est. Minor declaratur, quia tametsi singulæ partes aquæ naturaliter corruptibiles sint; ac decursu tot sæculorum et ipsa corrumpuntur; quia tamen iis aliæ similes succedunt, eaque successio naturaliter impediri nequit, ideo aer quoad speciem incorruptibilis est: idque non solum de hoc elemento, sed etiam de reliquis omnibus pari ratione dicendum est. Quintò, quia forma substantialis ex genere suo, vt aiunt, perfectior est quouis accidenti materiali: at accedens aliquod materiale naturaliter incorruptibile reperitur, videlicet quantitas materiæ cœna: ergo etiam forma substantialis materialis naturaliter incorruptibilis neganda non est. Eiusmodi autem forma quæ nisi cœlestis esse potest? Sexto, quia non repugnat corpus aliquod suapte natura incorruptibile: at eo ipso quod non repugnet tale esse cælum credibilis est: nimirum cum id eius perfectiori, & pulchritudini magis conueniat. Tandem huius sententiæ argumentum omnium optimum est experientia tot sæculorum, quibus abque vlla mutatione, aut vicissitudine substantiali sua cælo semper forma constat: cum tamen hic inferior mundus tot, tantasque vices habeat, & nunquam in eodem statu permaneat.

Ff 2

CAP

CAPVT VI.

Vtraque sententia velut probabilis defenditur.

22.

QVam probabilis sit vtraque sententia, argumenta superiora ostendunt; ne autem alterius probabilitas alteri obstat, vtriusque argumenta dissoluenda sunt. Ad primum argumentum prioris sententiæ ab autoritate Patrum desumptum respondeo, fortassis iis sermonem esse de incorruptibilitate, qua res ne diuinitus, vt aiunt, aut supernaturaliter à Deo destrui possit; non verò de ea incorruptibilitate, qua res naturaliter, & seruato naturæ ordine, & solito tenore destrui à Deo minime possit: hæc autem incorruptibilitas posterior, non verò illa prior est, quæ cœlum prædictum esse arbitror. Hanc autem fuisse mentem Sanctorum Patrum suaderi potest ex Chrysostomo, qui postquam omnium luculentissime corruptibilitatem cœlorum vbi supra statuisse, statim subiungit, omnem creaturam esse corruptibilem in hæc verba: non enim de cœlo, & terra sigillatim vobis dicemus, sed de omni pariter creatura: & hoc ipsum vobis demonstrantem Apostolum ostendimus sic manifestè dicentem, quod omnis creatura corruptioni nunc seruit. Tum sic Chrysostomus docet, cœlum esse corruptibile, siue non esse incorruptibile ea ratione qua omnis creatura à Deo producta est corruptibilis, & non incorruptibilis: at omnis creatura à Deo producta tantum dici potest corruptibilis, & non incorruptibilis diuinitus: eo quod Angelus & animus, ac quicquid creatur, naturaliter corrumpi, aut destrui nequit: ergo solum diuinitus corruptibile, & non incorruptibile esse cœlum censuisse credendus est Chrysostomus, sicut & reliqui Patres, qui cum eo in eadem verba loquuntur.

23.

Ad secundum argumentum respondeo, quamquam complures Philosophi antiqui, præsertim disciplina Stoicæ, arbitrati sint cœlos re ipsa corrumpendos, ac dissoluendos esse; ex quorum sententia ita loquitur Lucanus l. Pharsaliæ ibi:

Sic, cum compage soluta

*Secula tot mundi suprema coegerit hora
Antiquum repetens iterum chaos: omnia mixtis
Sydera syderibus concurrent: ignea pontus
Astra petent, tellusque extendere litora nolet,
Excutietque fretum: fratri contraria Phæbe
Ibit & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poscet sibi, totaque discors
Machina diuulsi turbabit fœdera mundi.*

Quamquam, inquam, ita senserint antiqui Philosophi; & quod caput est, complures Theologi, ac Patres: ceterum oppositum probabilius est. Cum enim cœlos subito illo interitu perire, atque extingui naturaliter impossibile sit, vt infra ex omnium sensu perspicuum erit, cur eiusmodi interitus superfluo, & abscondito miraculo admittatur? Quod autem ad loca Scripturæ in contrarium opposita spectat, ea quidem intelligenda sunt de interitu non quoad substantiam, sed quoad modum; eoque, quo cœli & elementa, quin omnino pereant, in melius commutentur. Ita non pauci Ecclesiæ Patres, quorum vnum, aut alterum producam. *Quæri*, inquit Gregorius lib. 17. moral. cap. 5. potest, cum per Salomonem di-

citur, generatio præteritis, & generatio aduenit, terra verò in æternum stat; cur B. Iob omnia humiliori aasserat, & auferri? quod tamen facile discutimus, si terra, & cœlum vel qualiter transeat, vel qualiter maneat, distinguamus. Vtraque namque hæc per eam, quam nunc habent imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namque per Paulum dicitur, præteritis figura huius mundi: hinc per semetipsam Veritas dicit, cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt: hinc ad Iob angelica voce perhibetur, erit cœlum nouum, & terra noua; quæ quidem, non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renouantur. Cœlum igitur & terra transibunt, quia & ab ea quam nunc habet specie, per ignem tergitur, & tamen in sua semper natura seruatur. Vnde per Psalmistam dicitur, mutabis eos, & mutabuntur: quam quidem vltimam mutationem ipsis nobis nunc vicissitudinibus nuntiant, quibus nostris vrbibus indefinenter alternant: nam terra à sua specie hyemali ariditate deficit, vernali humore viridescit: cœlum quotidie à caligine noctis obducitur, & diurna claritate renouatur. Hinc ergo fidelis quisque colligat, & interire hæc, & tamen per inuolutionem refici, quæ constat nunc assidue velut ex defectu reparari. Id ipsum docet Hieronymus supra cap. 5. & 65. Isaïæ, cuius verba, ne largus sim, prætermitto.

24.

Ad tertium argumentum respondeo: Cœlos principum qualitatum expertes esse sat probabilis est, vt etiam supra cap. 3. ostensum, manet. Ad quartum respondeo: motus contrarij, quibus cœli mouentur, haud quaquam contrarij dicuntur, eo quod inuicem se destruant, cum potius se compatiuntur, sed quod terminos à quo & ad quem oppositos, ac diuersos respiciant: in tantum verò eiusmodi motus cœlos destruere possent, in quantum semetipsos ad cœlorum conseruationem necessarios possent destruere, atque demoliri: cum ergo hoc posterius naturaliter repugnet, id ipsum de eo priori censendum, atque existimandum est. Ceterum quatuor primæ qualitates re ipsa inter se contrariæ sunt, & semetipsas interimunt: & quamuis in cœlis adstruerentur in eo intentionis gradu, quo se possent compati; ceterum calor v. g. cœlorum à sole vsque adeo augeretur, vt temperiem illam, & cum frigore concordiam exueret: & frigiditas vi Saturni tantumdem cresceret, vt calorem omnem septimæ sphaeræ consentaneum abigeret. Hinc est, quatuor primas qualitates non posse reperiri in cœlis sine horum corruptibilitate, vt rectè assumitur in argumento. At quod propterea motus cœlorum contrarij, aut quasi contrarij non arguant, cœlos esse de se corruptibiles, iam iam ostensum manet.

25.

Quintum argumentum Astrologos, ac Philosophos in contrarias opiniones rapuit: quidam respondent nouam stellam Cassiopeam non fuisse verè stellam, nec in firmamento extitisse, sed fuisse ex nubibus compactam, atque more reliquorum cometarum in elementari regione sedem habuisse: si enim, inquiunt, materiei cœlestis esset, magnitudinem telluris instar aliorum syderum superaret: ac proinde tanta materia biennio deflagrasset, vt foramina ex eo incendio in cœlo relicta nulla alia materia sarciri possent: quæ enim alia esset? nec enim cœlestis, quippe quæ iam assumpta esset; nec elementaris, vt pote quæ nulla via sursum attrahi extra centrum posset: & casu quo attraheretur, adeo

adeo ingens damnum compensando non esset. Contra tamen: quia quæ aërea regione, & in quacunque eius parte quantumlibet edita visuntur, ea ubique terrarum eodem in loco non apparent, sed in diuersis tractibus diuersum sui aspectum exhibent, si cum stellis fixis comparatio fiat, vt Astrologis exploratum est: qua ratione luna ipsa ob vicinitatem à varietate aspectus omnino immunis non esse perhibetur: at nouum Cassiopeæ sydus eodem loci ubique terrarum semper apparuit: foramina autem ex eius incendio relicta (si modò incendium dici meretur, interitus stella, quæ iuxta aduersarios non ignis, sed igneæ, & lucentis naturæ fuit) foramina inquam illa materia ipsius stellæ ad aliam formam substantialem minus perfectam, ac lucidam commutata bene reparari potuerunt: cum enim materia prima eius stellæ immortalis sit, cur non vi illius, necnon formæ succedentis cælum sartum, & tectum, vt aiunt, atque ab omni detrimento syncerum, integrumque cōseruari potuerit, ac debuirit?

26.

Alij respondent, stellam illam Cassiopeam fuisse aliquam ex stellulis, quæ extra sextæ magnitudinis sunt, atque ob sui exiguitatem conspici nequeunt; biennio autem illo interiectu quatumdam exhalationum videri potuisse: quemadmodum enim sol prope horizontem maior apparet ob interpositas illic spirationes inter ipsum, nostrumque aspectum: ita similiter sydus illud nouum merito exhalationum absolute maior nobis apparere potuit. Verum hæc solutio non satisfacit, & perinde ac superior confutari potest: si quidem cum eiusmodi exhalationes in elementari regione, non verò in ætheria plaga extiterint, non potuerunt ubique terrarum non habere magnam aspectus varietatem: vnde hic inter nostrum aspectum, & stellam Cassiopeam; alibi verò inter nostrum aspectum, & aliam stellam eiusdem constellationis apparuissent: quo fieret, vt ubique terrarum non illud nouum sydus, sed interdum aliud distinctum, diuersique situs nunquam antea conspectum, interdum verò antiquum aliquod sydus eius constellationis, solito tamen maius, eo biennio apparuisset.

27.

Alij censent eiusmodi stellam nihil aliud fuisse quam complexionem quandam plurium corporum lucidorum, quæ in cælis existunt: & licet seorsim ob cuiusque exiguitatem inuisibilia sint, cum tamen per motum casu concurrunt, ac prope se collocata sunt, instar syderis aspectabilis habere. Contra tamen primò: quia si talis cometa ex coniunctione corporum lucidorum, siue partium cæli magis illuminatarum ortum haberet, debuisset aliquomodo conspici medius cometa in vna parte, & medius in alia, ac deinceps ambo simul: haud secus ac è contrario, cum ob motum peculiarem solis, & lunæ, & vtriusque non coniunctionem, sed potius separationem; & interpositionem terræ, luna eclipsatur prius vna eius pars, ac deinde alia tertia, vel quarta, ac postea media, & denique tota non sine ordine, ac successione quadam eclipsam patitur. Contra secundò, quia moraliter impossibile est, vt, si cometa ille ex fortuito corporis splendentium concursu coaluit, semper vniformis, & similis lucis, ac continentis, ac perpetui splendoris apparuerit: cur enim toto illo biennio, quæ est nunquam intermissa varietas cælestis motus, corpora illa fulgida aliquantum separari, ac dimoueri aliquando non potuerunt?

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

runt: Contra tertio, quia si ex vario cælorum motu, ac diuersarum eius partium coniunctione ea stella coaluit, cur eiusmodi stellæ, siue cometæ magis frequentes non sunt: haud secus ac eclipsis ex cælorum motu, & planetarum vel coniunctione, vel separatione oriundæ eo ipso frequentes valde apparent.

28.

Nonnulli verò malunt, sydus illud Cassiopeæ constellationis a Deo de nouo productum miraculose quidem & supernaturali virtute, eademque postea euauisse; miraculi autem finem vel incertum esse, vel certe fuisse prodromum insignis illius cladis, qua Sebastianus Lusitanæ Rex apud Africanos Mahumetanos sub id tempus cum suis fufus, atque interfectus est. Fateor, Deum nonnunquam similibus miraculis, ac non minoribus, nec minus admirandis in ætherea illa, ac summa regione vsum fuisse: namque Isaiæ c. 38. perhibetur, solè retrosum properasse; & Iosue 10. cap. immobilem constituisse, & in sacro Euangelio, Christo moriente tenebris obscuratum fuisse. Verum, cum eiusmodi miracula, cum certo non constant, asserenda non sunt; aliàs profectò mutationes naturales, nonnullæ pluuiæ v.g. & grandines, miraculose interdum dici possent, ac deberent; aliunde verò stellam nouam miraculosam, ac supernaturalem fuisse minimè constet; satius quidem esset eius ignorantiam fateri, quam ad diuinæ virtutis miraculum confugere; quasi verò quacunque nobis ignota sunt, eo ipso miraculosa, ac supernaturalia essent.

29.

Quapropter missis aliorum responsionibus, bifariam explicari potest nouum illud, atque insolitum sydus: namque si cæli solidi sunt, dicendum est stellam illam in firmamento, siue in octaua cæli plaga sedem habere, non tamen more plerarumque aliarum motu solo sui orbis ferri, sed potius habere epicyclum, quo peculiari quodam motu vehitur: cum autem eiusmodi epicyclus minimè pellucidus, ac diaphanus sit, non semper nobis apparere stellam illam eo conclusam, sed duntaxat eo biennio, in quo superficies epicycli eam continens nobis ferè semper auersa pro ratione motus epicyclæi ad nos eo temporis spatio conuersa est, forte iterum cōuertenda decursu plurium sæculorum. Quod si cæli non solidi, sed fluidi, ac liquidi sint, dicendum est cælos, quantumvis suapte natura incorruptibiles, condensari tamen, aut rarefieri de nouo posse: tametsi id rarius, ac difficilius quam in hoc mundo elementari contingat. Nec enim raritas, & densitas cælorum eorum incorruptioni obstat, cum ex aliis causis præter primas qualitates sibi contrarias, & cum subiecti sui corruptione coniunctas proficiantur, vt supra c. 2. ostensum manet. Nec etiam quod de nouo accendant, aut crescant, vel decrescant etiam incorruptioni cælorum obstat: siquidem tota ea mutatio, ac nouitas, qua cæli magis vel minus denno rarefiscunt, aut densantur quoad aliquas eorum partes, accidentalis, & non substantialis est: vnde cælorum incorruptibilitati non magis obstat, quam animæ immortalitæ lædit, quod per intellectum, ac volitionem accidentaliter toties mutetur. Sydus igitur illud, quod in constellatione Cassiopeæ apparuit, & cum reliquis in ea sitis figuram illam exhibuit, quæ à Geometris trapezium appellatur, nihil aliud fuit, quam pars aliqua cæli ibi solito plus condensata, & magis compacta, prout ad lucem eximiam reddendam oportet.

Ff 3

Altero

Altero etiam ex his duobus modis varietas illa in stella Veneris quondam conspecta, & quodcumque id genus phenomenon explicari potest.

30.

Iam ad posterioris sententiæ argumenta progredior; quorum primum hæc resoluendum est. In primis quemadmodum non ex iisdem qualitatibus secundis, aut morbis mors & corruptio proveniunt, ita non conspicio, cur ex iisdem causis quasi primariis, & radicalibus corruptio, & interitus proficiatur: unde tamen in hoc elementari mundo ex lucta quatuor primarum qualitatum, caloris nempe, frigoris, humiditatis, ac siccitatis rerum omnium corruptibilitas proficiatur: tamen in cælesti illo mundo ex aliis primis qualitatibus longe diuersi ordinis corruptibilitas nasci poterit: & quemadmodum qualitates illæ, & hæc, quas experimur, diuersæ sunt, ita, & corruptio, quam inferrent: altera enim rarior, ac difficilior, altera vero frequentior ac facilior: perperam ergo ex eo, quod cæli quatuor primis qualitatibus careant, incorruptibiles adstruuntur. Deinde quam probabile sit cælos quatuor primariis qualitatibus affectos esse, constat ex iis, quæ supra disseruimus. Ad secundum argumentum respondeo, quemadmodum elementum ignis aërem sibi vicinum, ac proximum quantumlibet corruptibilem penitus atque omnino non abolet, aut consumit: ita orbem lunæ, quamuis corruptibilem, non erit, cur prorsus depopuletur. Ratio vero à priori huius esse potest: prior, quia quantum lunæ in vno conspectu deperit tantumdem ei in alio accrescit; alternante victoria, sicut in elementis euenit: posterior verò, quia etsi orbis lunæ corruptibilis sit, non tamen ab igne, cum quo in iisdem qualitatibus non congruit, quarumque ab eo suscipiendarum incapax est, ut paulo supra visum est, sed ab orbe Mercurij, qui mitius quam ignis præliatur, ac tamen voracitate, & acrimonia non pollet.

31.

Ad tertium argumentum respondeo: esse in mundo corpora aliqua animata, alia verò inanimata: nihil aliud est, quam formas aliquas esse animales ac vitales, alias verò minimè tales: materia enim utrorumque corporum eadem absque vlllo discrimine est: ita hac ratione quamuis cæli incorruptibiles sint, erunt in mundo corpora corruptibilia, & corpora etiam incorruptibilia: hoc est, quorum formæ sunt corruptibiles, nec non etiam quorum formæ incorruptibiles sunt, ut in Metaphysica cõstabit, cum de immortalitate animæ sermo erit. Quod si alium sensum aduersarij flagitent, negandum est, duplicem illam corporum differentiam ad perfectionem vniuerso necessariam requiri, licet ad maiorem eius perfectionem conducere: haud secus ac perfectionem ac pulchritudinem vniuersi promoueret, quod luna ab initio fulgeret ut sol, & sol septuplum lumen acciperet: ut aliquando futurum Isaias prædixit, nunquam tamen hæcenus euenisse experientia demonstrat: & haud secus ac si Deus ab initio animalia corruptibilia, nec non incorruptibilia etiam condidisset, quæ tamen condere noluit pro eo ac potuit. Ad quartum argumentum respondeo, ut cælum incorruptibilis sit quàm hæc inferiora, quæ ab incorruptione influxu suo præseruat, necessarium non est, ut quoad individuum omnino incorruptibile sit, sed satis est, ut quoad modum difficilius corrumpi, ac dilabi possit, quàm hæc inferiora, quibus

incorruptionis causa est. Rursus proloquium illud, *propter quod unumquodque tale est, & illud magis tale*, haud semper verum habet, ut missis aliis exemplis vel in ipsis cælis conspiciendū cernere est: qui quidem per inimicas ac noxias qualitates, quas interdum influunt in hæc inferiora, suis corruptionis causæ sunt, cum tamen ipsi interim ab omni corruptione immunes sint, nec magis corruptibiles censi queant. Rursus cæli sunt suis proprietatibus incorruptionis causæ: ideoque proprietates cælorum quarto modo perpetuæ sunt, quia essentia, à qua dependet, immortalis ac interitui minimè obnoxia est: & tamen cæli non sunt magis incorruptibiles, quàm eorum proprietates; cum iuxta aduersarios vtrorumque incorruptibilitas naturalis sit.

32.

Ad quintum argumentum respondeo: forma etiam corporea sublunaris ex genere suo est longe perfectior materia sublunari, ut indubitatum est: quis enim materiam sublunariam prope nihil ab Augustino appellatam cum forma equina aut leonina conferre audeat? At hoc non obstante materia sublunaris est naturaliter incorruptibilis, nec nisi diuinitus destrui potest; cum tamen omnis forma corporea sublunaris procul dubio naturaliter corruptibilis sit: ergo similiter in præsentiarum, esto forma substantialis corporea sit ex genere suo præstantior accidenti materiali, hoc tamen poterit esse interdum incorruptibile, quin illi eandem incorruptionis, atque immortalitatis prærogatiuam concedi oporteat. Rursus fallum est, accidens aliquod materiale naturaliter incorruptibile in rebus reperiri: quantitatem enim materiæ coëuam, ab eaque distinctam, commentitiâ esse in Metaphysica constabit: nec verò aliud accedens à quantitate distinctū ei coëuam fingi potest, cum vocationes, durationes, & cum formis substantialibus qualitates ab iis prognatas passim commutet. Ad sextum argumentum respondeo, multa quidem non repugnare, quæ etsi cæli ornatum, & perfectionem magnopere promouerent, de facto tamen ei non competunt, ut nuper in solutione tertij argumenti ostensum est: unde cælorum incorruptibilitas, quamuis non repugnet, actu tamen non datur. Ad postremum argumentum respondeo: in cælesti illo, ac supernaturali mundo, multas quidem transmutationes substantiales accidunt; cæterum ex ob nimiam distantiam sub experientiam venire nequeunt: sic si quis super æthera magnū syderealque plagas à Deo supernaturaliter euectus inde despicere velinset, terrasque iacentes, littoraque, & latos populos, certè omnia hæc inferiora ob nimiam distantiam punctus ei apparent: ac proinde in hoc elementari mundo nullas vices, nullas mutationes, aut vicissitudines discernere, aut experiri posset, cum tamen innumeris scaturiret.

TRACT

TRACTATUS II.

De Cælorum proprietatibus.

CAPVT PRIMVM.

Cælorum numerus, & ordo.

I. **R**ÆTER cælum empyreum, quod, vno excepto Caietano, ab omnibus Theologis admittitur, & in sacris literis modò cælum cœli, modò ciuitas in quadro posita, aliisque nominibus appellatur, decem cælos mobiles esse communior Astrologorum, ac Philosophorum sententia tenet, quam etiam ipse amplector: quia quot sunt motus diuersi in corporibus cœlestibus, totidem cœli admittendi sunt, cum non nisi vnus motus vni cœlo per se conuenire possit: at decem diuersos motus longo vsu, & diuturna experientia solertissimi Astronomi obseruauerunt: primum, qui diurnus, siue raptus appellatur, & quo primum mobile spatio viginti quatuor horarum ab oriente ad occidentem, & iterum per occidentem ad orientem mouetur, eodemque fermè spatio sphaeras omnes inferiores secum rapit: secundum, quo cælum glaciale, siue crystallinum ab occidente in orientem contra impetum primi mobilis mouetur spatio 49000. annorum, secumque etiam cælos omnes inferiores rapit; & hic annorum numerus à nonnullis annus Platoniscus appellatur: tertium, quo octaua sphaera à septentrione ad austrum, & è contrario tirubatur; & hic etiam motus sphaeris inferioribus communicatur, & spatio 7000. annorum absoluti creditur: quartum, quo Saturnus triginta annis ab occidente in orientem proprio motu, ac super proprios polos fertur: quintum, quo Iupiter duodecim fermè annis ab occidente in orientem proprio etiam motu pergit: sextum, quo Mars duobus fermè annis ab occidente in orientem graditur: septimum, quo Sol diebus 365. horis 5. minutis 49. sec. 16. circulum etiam suum ab occidente ad orientem peragit: octauum, & nonum, quo Venus, & Mercurius eodem fermè temporis spatio circulos suos absoluunt: postremum, ac decimum, quo Luna viginti septem diebus ab occidente in orientem, & per orientem iterum ad occidentem itque, reditque vias.

2. Obiicies tamen primò, illos motus, vel certè horum plerosque explicari posse, tametsi tot sphaera non admittantur; videlicet si cælum plures habeat canales, per quos quasi per fornices quoddam, ac victrices arcus planetae triumphantium instar propriis motibus rotentur: si corpus humanum suas habet cavitates, scilicet venas, & arterias, quibus mirificè variegatur: sic tellus occultas, apertasque vias habet, per quas flumina currunt, atque recurrunt. Verùm caua illa spatia, per quæ sydera sine villo errore continuo errant, an vacua omni corpore sunt, vel potius corpore aliquo fluido, spirabili, atque ad cedendum facili repleantur? Alterutrum enim dici debet, & neutrum sustineri potest: non secundum, vt ad-

uersarij fatentur, & merito; aliàs totum cælum liquidum, ac separabile esse posset: non primum, quia aliàs daretur vacuum in rerum natura, quod & Aristoteli, ac reliquis Philosophis repugnat. Dices, nullum in rebus vacuum sequi; quia vacuum est locus aptus repleti corpore, eo tamen non repletus: eiusmodi autem canales, quamuis corpore non repleantur, nisi cum per transfennam aliqua sui parte Planetam suscipiunt, cœterum corpore repleti apti non sunt. Contra tamen, quia in primis cur caua illa, & laxa spatia corporis incapacia sint? cur sicut successiue corpus suscipiunt, eoque replentur; simul etiam, & versus omnes partes eo occupari nequeant? haud aliter ac cavitates omnes sublunares repleti aptæ sunt. Deinde ne de nomine quæstio sit, certè quæ rationes vacuum in hoc mundo sublunari impugnant, eadem suadent cavitates illas in mundo illo cœlesti minime adstruendas esse, quidquid sit, an vacui nomen mereantur: nam, vt aliis rationibus supersedeam, qui fieri poterit, vt per eas cavitates nullo corpore repletas influxus cælorum in hæc inferiora traiciatur?

3. Etenim canales eiusmodi haud quaquam capi debent, tanquam lineolæ quædam subtiles, quæ longo volumine, atque tenui admodum ambitione cælum omne diuidant, atque circumforent: quin potius cælum excavatum esse potest, non solum versus omnem suam longitudinem ab oriente in occidentem, & ab oriente iterum per antipodas in orientem, sed etiam versus immensam illam latitudinem, qua cælum ab vno solstitio ad aliud extenditur, cum sol ab vno ad aliud, & è contrario meet, atque remeet; quo ita diuersas anni partes diuersis orbis gentibus dispenset. Quo constituto, sic argumentor: vt cælum, & sydera in hæc inferiora influant, debent operari in medio per spatium illud cœli, quod ab vno solstitio ad aliud longè latèque diffunditur nullum enim agens in distans operari potest, quin prius in medio operetur: at, cum eiusmodi spatium inter medium nullo corpore repleatur, in quo aliquid agi, fierique possit; centè cælum, ac sydera in eo minime operari possunt: igitur in hæc inferiora sub eo spatio longè, ac latè collocata influere non poterunt. Illo quoque argumento hæc sententia refelli potest, quod iuxta Astrologos luna v.g. in eodem puncto Zodiaci existens modò propior sit terris, modò remotior: at si per canalem rotaretur in eodem Zodiaci puncto eodem semper intervallo à terris distaret.

4. Porro autem ex cœlis planetariis nullum est, quod vt minimum non complectatur tres orbis partiales non continuos, sed contiguos: quorum medius simpliciter, & quoad vtramque superficiem mundo excentricus est: duo verò extremi excentrici secundum quiddam quod superior quoad superficiem conuexam, habeat idem centrum cum centro vniuersi, quoad inferiorem tamen, & concauam, centrum longè diuersum, cum tamen inferior orbis opposito modo se habeat. Hæc doctrina à Ptolomæo, & reliquis Astrologis hoc argumento suadetur: quod eadem magnitudo procul visa, modò maior, modò minor appareat, ex eo oritur, quod aspectui modò propior, modò remotior sit, vt perspectui tradunt: at sol v.g. (eadem est ratio de alijs Planetis) modò maior, modò minor nobis apparet; idque esto utrobique eadem temporis serenitas sit, ac nullæ nu-

hes, nulli vapores cœlum asperant: sol enim existens in signis australibus maior videtur, in borealibus verò minor, eiusque diameter visualis in capricorno maxima, in cancro vero minima est: igitur sol terris modo propinquior, modo remotior est: at si in orbe omnino concentrico telluri veheretur, in eadem distantia semper appareret, ut perspicuum est: igitur in orbe omnino excentrico vehitur, cuius orbis motus cum diuersus sit à motu duorum orbium, quos interiacet, & qui inæqualis crassitie sunt; certe sol cum interiacet partem magis crassam orbis inferioris, minusque crassam superioris; siue, quod perinde est, cum est in puncto, quod aux appellatur, necesse est, ut tunc maximè à terris distet, cum vero interiacet partem magis crassam orbis superioris, & minus crassam inferioris, siue, quod recidit in idem, cum est in puncto, quod oppositum augis appellatur, necesse erit, ut tunc à terris in minima distantia sit; quoque magis, aut minus ab iis punctis recedit, vel ad ea accedit, eo magis, vel minus à tellure distabit, ad eamque appropinquabit.

Rursus iuxta plerosque Astronomos, cœli cuiusque Planeta, sole excepto, præter tres orbes præfatos habet epiciclum, id est, orbem exiguum, intra crassiciem orbis excentrici, immersum, & qui centrum mundi nullatenus ambiat, sed omnino extra illud sit: siquidem Planeta omnes præter solem in auge existentes, modo tamen aliores, modo depressiores feruntur: & quod hinc sequitur, modo maiores, modo minores apparent, maioremque, & minorem Zodiaci partem diametris suis abscindunt: at id ipsum etiam usu venit, cum Planeta in opposito augis feruntur: at hæc inæqualitas ab orbibus excentricis proficisci nequit, ut manifestum est: ergo solum ab epiciclis; prout enim Planeta in puncto sublimiori, aut humiliori epicicli mouetur, à terra magis vel minus eleuabitur: nec vero hinc sequitur, quod non nemo sequi contendat, per solos epiciclos maiorem, ac minorem distantiam Planetarum à tellure quotiescunque accidit, explicari posse: siquidem luna v.g. existente in eodem epicicli puncto deprehensum est ab Astrologis eam modo magis, modo minus à terra distare: ut ergo hæc inæqualitas explicetur, præter epiciclos orbes excentrici admittendi sunt; ex quibus etiam oritur, ut hoc etiam obiter insinuem, quod motus superiorum Planetarum inferioribus non communicentur: quia ut orbis superior secum rapiat inferiorem, debent ambo esse concentrici: ut iustrum materialis ad id fabricato ostendi solet.

Hactenus de numero orbium cœlestium, quod autem attinet ad numerum stellarum, ea absolute (ut aiunt) sumptæ tot sunt, ut à nobis communiter numerari nequeant: vnde sicut arenæ maris numero propemodum infinitæ sunt: primò, quia id multis in locis Scriptura testatur, præsertim Ieremiæ cap. 33, sicut enumerari non possunt stellæ cœli, & metiri arena maris, sic multiplicabo semen David serui mei. Secundò quia id experientia ipsa testatur: siquidem hyemali tempore, præsertim versus polum arcticum infinitæ, ac innumerabiles stellæ in cœlo visuntur: quod autem Astrologi respondent, non stellas, sed apparentias stellarum conspici, visumque ludificari, ubi infinitos lucis radios, ac scintillationes sydera esse putat; hoc, inquam, futile est: nam eadem

ratione dici poterit, stellas, quæ ab Astrologia eiusmodi censentur, non stellas, sed lucis scintillas ac radios esse. Terrio id ipsum suadet: quia galactia, siue via lactea, quid aliud esse potest, quam quædam octauæ sphaeræ ambitio infinitis stellis minutissimis longe, lateque conspersa. Quod autem ait Aristoteles, viam lacteam in æria, & elementari plaga non vero in æthere regione sitam esse, ac nihil aliud esse, quam exalationes quasdam inflammatas, atque in longum, latumque profusas, facile refelli potest: quia imprimis incredibile est, tantam halituum vim sursum attrahi, quanta sufficit ad conseruandum tot sæculis maximum illum circulum, qui latitudine amplissimus est, ut oculis cernitur; longitudine vero sua totum cœlum in duo hemisphaeria per sagittarium, & geminos diuidit. Deinde, si via lactea esset in ærea, & elementari plaga, non cerneretur vbique gentium in eodem situ comparatione facta ad stellas fixas, sed ab aliquibus prope has, ab aliis verò prope illas cerneretur: qua ratione cometæ ob vicinitatem iuxta eandem stellas fixas vbique gentium non conspiciuntur: at contrarium ab Astrologis longo usu, & experientia, deprehensum est.

Enimuero tametsi infinitæ propemodum stellæ in firmamento appareant, ceterum plures earum adeo exiguae sunt, ut solo hyemali tempore appareant, quando aer magis purgatus, & propter inopiam caloris pauciores halitus sursum euehantur: aliæ verò propter crebram, ac vehementem scintillationem inconstantem, ac vagam lucem certam sedem habere non videntur; vnde neutra in sphaera materiali describi, aut in numerum reuocari possunt: idque ex parte expressit Aristoteles lib. 1. Meteoror. cap. 8. ibi: *qua Sporades, hoc est, sparsæ nuncupantur, non adeo licet in sphaera describere, quod nulla earum usquequaque euidentem suum obineat, sed spectantibus cœlum manifestæ sunt.* Hactenus ille: quocirca credibile est, stellas alterius ordinis, id est, nec minimas, nec lucius gas tantum esse mille viginti duas, ut peritissimi Astronomi longo usu, & experientia deprehenderunt.

Quod autem attinet ad ordinem sphaerarum cœlestium talis communiter censetur esse, qualem initio capitis insinuauimus: & confirmari potest. Primò, quia quo magis cœlum aliquod à natura, & conditione primi nobilis abest, magisque velociter contra eius motum, & imperium ab occidente in orientem agitur, eo magis à primò mobili distare debet: sic elementa directe opposita, & contraria loco distare, ac sibi immediata non esse supra asseruimus, cum de corpore corruptibili ageremus: at qui luna citissime ab occidente in orientem contra imperium primi mobilis mouetur: Deinde Mercurius, mox Venus, postea Sol, rum Mars, deinceps Iupiter, & sic de reliquis. Secundò id ipsum confirmari potest, quia astrum illud, quod aliud eclipsat, alio inferius, ac telluri vicinius est: at ab Astrologis deprehensum est, lunam reliqua sydera eclipsare, ac Mercurium obscurare Venerem, & sic de reliquis, præter Solem, qui à Mercurio, & Venere non eclipsatur; non quod iis superior non sit; sed quod iuxta Albategnium, Clauium, & alios circulus visualis Mercurij adhuc longe minor sit circulo visuali Veneris.

Ad hunc Planetarum ordinem respexerunt antiqui

antiqui dierum septimanæ institutores: cum enim sensissent, singulis diei horis singulos suo ordine Planetas præfidere, v. g. primæ horæ primi diei sabbathi videlicet Saturnum, secundæ Iouem, tertiæ Martem, quartæ Solem, quintæ Venerem, sextæ Mercurium; septimæ Lunam, rursus octavæ Saturnum, nonæ Iouem, decimæ Martem, undecimæ Solem 12. Venerem, 13. Mercurium, 14. Lunam, 15. Saturnum, 16. Iouem, 17. Martem, 18. Solem, 19. Venerem, 20. Mercurium, 21. Lunam, 22. Saturnum, 23. Iouem, 24. Martem, ac rursus 25. siue primæ horæ, secundæ diei Solem: & sic ulterius: cum, inquam, ordine hoc singulis horis diei singulos Planetas præesse arbitrati essent, mirandum non fuit, quod dies hebdomadæ non denominarentur penes eorum ordinem immediatum, sed penes ordinem mediatum, & retrogradum, duobus intermissis: quod spectat vulgare distichon

*Cynthia, Mercurius, Venus, & Sol, Mars, Ioue,
Saturnus:
Ordine retrogrado sibi quinis vendicat horam.*

CAPVT II.

Cælorum figura, & magnitudo.

10.

Perique Philosophi cum Aristotele 2. de cælo cap. 6. & Astronomi ferme omnes cum Ptolomæo tuerentur, cælum esse globosæ, ac sphericæ figuræ: & quidem merito, quia cælum inter corpora simplicia perfectissimum est: quemadmodum ergo reliqua corpora simplicia figura sphericæ prædita sunt, ita similiter cælum ea præditum esse debet; eo vel maximè, quia hæc figura perfectissima sit: tum quia principio, & sine more creatoris caret: tum, quia simplicissima est, & vnica superficie continetur: tum demum, quia inter omnes figuras isoperimetras capacissima est. Secundo id ipsum suadetur ex motu cælesti: nam cum motus cælestium corporum sit mensura aliorum motuum, & per tempus illud in cælestium sphaerarum vertigine constitutum durationes rerum sublunarium reguntur, & mensurantur; sanè motus cælestium corporum velocissimus, seu minimæ durationis esse debet, quoad eius fieri poterit: quod enim in vnoquoque genere minimum est, id reliquorum mensura est: quia ratione numeri per vnitatem, & pondera per vnciam mensurantur: vnde corpora cælestia ea figura prædita esse debent, quæ ad motum velociorem magis apta est: at figura sphericæ ad motum velocissimum aptissima est; siquidem motus qui fit per lineam sphericam, & circularem cæteris paribus est minimus, siue velocissimus inter omnes motus, quibus aliqua res ab eodem puncto ad illud idem punctum redit, eo quod linea circularis sit minima earum, quæ ab vno termino exeunt, & ad eundem reuertuntur. Præterea, cum cæli inferiores moueantur motu opposito motui primi mobilis super diuersos polos; sanè nisi sphericis ac rotundi sint, talesque in quibus nihil eminens, nihil lacunosum, nihil angulis, aut angustibus incisum sit, certè eorum scissio, vel penetratio per motum necessario fiet. Adde, stellas omnes fixas eandem distantiam respectu nostri semper sortiri, vt Astrologi compertum habent:

at si cælum figura sphericæ non esset, sed in planitiem extensum, alteriusve cuiuscunque figuræ stellæ omnes in eo fixæ eodem modo à nobis non distarent, sed quæ in oriente essent, magis à nobis distarent, quàm quæ supra verticem eminerent.

Quod ad magnitudinem cælorum attinet, ambitus concavæ lunæ continet milliaria 7580250. cum autem cæli superiores proportionem seruata semper maiores sint, quibus facile conticere poterit, quanta sit Saturni, quanta firmamenti, quanta demum cæli glacialis, ac primi mobilis ambitio, & vastitas. Non prætermittam autem duo, quæ circa magnitudinem firmamenti subtiliter demonstrat P. Clavius saculi sui Euclides cap. 1. sphaeræ. Primum est, tantum esse spatium illud loci, quod vna hora quoduis æquatoris punctum in conuexo firmamenti conficit, quantum vix annis 1094. conficeret quis, tamen quotidie 40. milliaria sine vlla mora, aut intermissione transigeret: vnde necesse fore, vt sagitta aliqua, aut auis in spatio temporis vnus Salutationis Angelicæ sapius, quàm septies totam tellurem circumueat, si motum horarium illius puncti consequatur, ac pari cum eo celeritate moueatur: cum ergo spatium illud loci 24. aut 23. vicibus minus sit, quàm totius firmamenti ambitus, quantus hic sit, quis non stupeat? Secundum, quod demonstrat, est stellam polarem, quæ est in extremo caudæ vrsæ minoris, siue cynosuræ, quæquæ à polo arctico tantum distat tribus gradibus, & dimidio vnus gradus, describere circulum, intra quem collocatus totus orbis, cui sol infixus est, cum adhuc non tangeret: cum autem eiusmodi circulus comparatione aliorum, quos firmamentum motu suo describit, minimus, sit vt colligere est ex eius indistantia à polo, & ex eo, quod stella polaris vix locum mutare videatur, cuius vel hinc perspicuum erit, quàm vasta, ingensque sit firmamenti magnitudo.

Quod spectat ad stellarum magnitudinem inter omnes tam errantes, quæ septem sunt, quàm fixas, quæ in sex classes, siue magnitudines inæquales ab Astrologis dissecantur, nulla prorsus est, quæ non sit octodecies maior, quàm tota telluris moles; pluresque earum eam longè magis excedunt: & Sol omnium maximus continet magnitudinem terræ 166. vicibus, & non nihil amplius. Ab ea tamen regula excipias Venerem, Mercurium, & Lunam: siquidem terra continet in se Lunæ magnitudinem 39 vicibus, & non nihil amplius; & magnitudinem Veneris 37. vicibus, & non nihil amplius, ac magnitudinem Mercurij astrorum minimi 21952. vicibus. Atque hinc est, vt interpositione horum trium astrorum inter solem, & nostrum aspectum ecclipsis solaris nequaquam sit vniuersalis, & comparatione omnium gentium; sicuti est vniuersale deliquium lunæ.

Quoniam vero nonnulli sensuum iudicio ducti ea, quæ de magnitudine syderum, ac cælorum ex Astrologis adduximus, falsa, & commentitia esse arbitrantur; ideo breuiter, ac dilucide demonstremus, terram quantauis mole prædita, ac solari corpore toties maior videatur, eo tamen multo minorem esse; & Lunam etiam, quæ eiusdem cum sole magnitudinis nobis videtur, eo tamen multo minorem: hinc enim fiet vt in reliquis etiam, quæ de magnitudine syderum, ac cælorum

11.

12.

13.

cælorum, nec non de eorum distantia, situ, positura, motu, & aliis proprietatibus. Astronomi tradunt, hos potius, quam se, sensusque suos toties ludificatos sequi non grauentur. Prius ergo eorum, quæ proposita sunt, in hunc modum demonstrari solet: si sol foret æqualis terræ, huius umbra proiceretur æqualibiter in infinitum per modum cylindri, nec quo longius procederetur, tenuaretur, aut augeretur: quod si sol minor esset, quam terræ, huius umbra, quo longius à terra procederetur, eo magis in infinitum augeretur, latiorque euaderet: quorum hoc manifeste demonstratur à Virellione lib. 2. perspectiue proposit. 28. illud vero prop. 26. & experientia duorum corporum, quorum alterutrum sit opacum, alterum luminosum, in terra distantia iuxta se positorum, utraque assumpti pars euidenter constabit. Consequens autem est aperte falsum: quia aliàs nocte serena aliquæ stellæ fixæ occultarentur; eæ videlicet, quæ essent in umbra terræ: eadem ratione Mars, Iupiter, & Saturnus, Soli è diametro obiecti eclypsim paterentur: quod tamen nunquam visum est: unde solerit multo maior, quàm terra: indeque fiet, ut umbra terræ pyramidalis, siue conica sit; desinatque in punctum indiuisibile, quod stellas fixas, dictosque Planetas minime peringat. Posterius autem eorum, quæ proposita sunt, in hunc modum clarissime probatur: cum enim umbra terræ conica sit, semperque angustior euadat, eius diameter diametro terræ minor erit: quare cum tota luna intra eam umbram toties abscondatur, quoties eclypsim patitur; idque longo temporis intervallo, & in magna à terra distantia, ubi umbra minima est, fieri nequit, quin luna multo minor, quam terra; ac proinde multo adhuc minor quam sol existat.

CAPVT III.

Calorum motus quam habeat causam efficientem.

14. **Q**UOT, & quibus motibus Cæli moueantur supra cap. 1. ostendimus, cum esset nobis sermo de numero, & ordine Cælorum: quare id in præsentem discutiendum superest, à qua causa Cæli effectiue moueantur. Ioannes Maior, Saxonia, & alij, quos refert Bonouentura in 2. dist. 14. art. 3. quasi 4. censent Calos à seipsis solum effectiue moueri. Simplicius tamen, Philogonus, Damascen. Thom. Aquinas, Bonauent. supra citatus, Gab. Zimara & alij docent Calos à solis intelligentiis cieri: nonnulli vero cum Alberto Magno tenent, eos nec à se ipsis, nec ab intelligentiis, sed à solo Deo moueri; ipsi verisimilius arbitramur eos tam à se ipsis, quam ab intelligentiis effectiue moueri. Prius suadet: quia omnis essentia suas proprietates efficit: motus circularis est proprietas cæli ei debita, & connaturalis: igitur cælum motum circularem efficit. Maior supra lib. 4. tract. 7. probata est, cum de concursu substantiæ in accidentia sermo nobis esset, & infra lib. 10. tract. 1. prælibanda est. Minor probatur, quia ex eo colligimus calorem v. g. in summo gradu esse proprietatem ignis ei connaturalem, quia videmus omni igni, & soli igni, & semper igni conuenire: seclusa autem hac experientia, cedo (si libet) cur calor in summo

fit proprietas connaturalis ignis, aut cur vlli æteri essentia vlla alia affectio propria, & connaturalis sit: at videmus, motum circularem præsertim perpetuum omni cælo conuenire, & soli ei, ac semper conuenire. Rursus id ipsum suadet: quoties natura alicui substantia corporea organa ad motum, aut operationem aliquam largitur; siue, quod perinde est, quoties corpus aliquod substantiale ad operationem aliquam, aut motum subeundum adaptat, toties ei facultatem, ac vim actiuam ad idem concedit: an non frustra concederet natura homini pedes, quibus ambularet, vim tamen actiuam, & deambulationis productiuam ei denegaret; at qui Deus corpus cæleste ad motum circularem adaptauit, & concinnabit, ac quasi organizauit, eique figuram sphericam ad eum motum aptissimam largita est; nec non grauitatem, & leuitatem, quibus sursum, aut deorsum impelleretur; aliasque omnes qualitates, quibus à motu circulari impediri posset, ei ademit.

Præterea id ipsum suadet: quia motus grauium, & leuium est ab intrinseco: quanquam enim id nonnulli Philosophi negent, eos tamen Aristoteles 1. de cælo cap. 8. optime refellit, & inferius l. 10. tract. 1. cap. 3. confutandi sunt: at non est potior ratio, cur motus grauium, & leuium sit ab intrinseco, quam motus cælestium corporum; imo potior ratio est, ut cælestia corpora à semetipsis efficienter, quam graua, & leuia moueantur; cum vis se mouendi perfectio sit; ac proinde in corpora perfectiora, qualia sunt cælestia, conuenire magis debeat, quam in ea, quæ minus perfecta sunt, si in vna, & non in alia conuenire censeatur. Postremo id ipsum suadet, quia cælum efficienter mouet corpora sublunaria de loco in locum, ut perspicue constat ex iis, quæ de magnere, de heliotropia, de pelago fluente, ac refluxente toties differuimus: cur ergo seipsum localiter mouere nequeat? Certe quemadmodum ridiculum esset asserere hominem, qui se ipsum ne latum quidem vnguem mouere, aut de loco in locum discedere posset; cum tamen virtute alios mouendi præditus esset; aut ignem, qui in aliis calorem produceret, eum producere nequireret: ita similiter absurdum est, cælum alia localiter mouere posse, se ipsum tamen mouere non posse, cum tamen in æterno, & irrequieto motu sit.

16. Posterius suadet: quia negari nequit, quin Angeli cælorum præsidēs, & gubernatores sint, eosque perpetuo moderentur: tum quia id postulat connexio, & subordinatio reperta inter mundum visibilem, & inuisibilem, atque inter creaturam corporatam, atque incorpoream: quæ certè nullo iure magis negari potest, quam connexio, & subordinatio inter causas corporeas, superiores, & inferiores, cælestes, & sublunares; quarum aliæ ab aliis reguntur, & alia aliis subiiciuntur. Tum quia id perspicue docent Ecclesiæ Patres, præsertim Augustinus 83. quæstion. q. 16. ibi: *unaqueque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi præpositam, sicut aliquot locis diuina Scriptura testatur.* Et Origenis tom. 6. in Ieremiam: *omnibus rebus Angeli præstant tam terræ, & aquæ, quam aëri, & igni, id est principalibus elementis: & hoc ordine perueniunt ad omnia animalia, ad omne germen, ad ipsa quoque astra calida, At Angelos præesse cælis, eosque regere*

regere, & moderari quid aliud esse potest, quam cælos mouere, ac certos, statosque cursus iis præfinire: nec enim cura illa, & regimen Angelorum in eo consistere potest, quod cælos in suo esse directe conferuent: qui enim cælos producere non potuerunt, qua ratione eos directe conferuare tot sæculis valebunt? neque etiam in eo, quod indirecte cælos conferuent, hoc est, in eo quod cælos ab iniuria, & violentia agentium contrariorum vindicent, & si quid detrimendi eis extrinsecus immisceat, id omne ab iis atceant: cum enim cælum, aut omnino incorruptibile, & ab agentibus extrinsecus lædi nescium sit, ut Peripatetici tuerentur, aut certe non nisi difficillime; ac parum lædi, aut corrumpi possit; ut experientia tot sæculorum constat, inepte quidem cura illa cælestis machinæ Angelis demandata ad solam illam indirectam conseruationem & contrariorum agentium vim arcendam reuocaretur. Præterea idem suaderit quia cælestia corpora hæc inferiора localiter mouent, ut saepe insinuatum est: à fortiori ergo dicendum est, Angelos mouere cælos, cum Angeli naturæ dignitate plus cælos superent, quam cæli corpora sublunaria antecellunt. Rursus: sicut minor hic mundus, videlicet homo habet spiritus vitales, & animales: per quos regitur, & vi quorum de loco in locum mouetur, pari ratione congruum fuit, ut maior hic mundus per spiritus incorporeos, & cælestes regatur, eorumque vi, & influxu motum localem subeat penes eas partes, secundum quas summo artificio localiter mouetur. Huc spectat illud Iobi c. i. *ibi sub quo curuantur r. qui portant orbem*; nec non Ecclesiastes cap. i. *pergit in circuitu spiritus, & in circulo suos reuertitur*, id est, cælum ita pergere, & reuerti facit, ut interpretatur D. Thomas opusc. i. art. 6.

17. Obiicies tamen contra priorem nostræ sententiæ partem: si qua ratione, cælum à semetipso efficienter moueretur, maximè quia motus ei esset connaturalis, eiusque ingenitò appetitui conformis; ut supra argumentati sumus: at motus ei connaturalis non est, siquidem nulla res connaturaliter mouetur, nisi ad hoc, ut centrum adipiscatur: cælum autem perpetuo est in centro, & nunquam ab eo exulat, aut potest. Deinde obiicies contra posteriorem nostræ sententiæ partem: cæli à semetipsis effectiue mouentur: cur ergo ad eorum motus intelligentiæ efficienter concurrat? pati quidem ratione dici posset, quoties lapis in centrum delabitur, aut ignis, vel aer sursum euolat, aut mare fluit, refluitque, aut quæuis alia res naturaliter mouetur, huiusmodi motus ab intelligentiis efficienter proficisci, quod ridiculum videtur.

8. Ad primum respondeo: corpori in centro existenti solus ille motus connaturalis minimè est, qui se habet per modum desiderij, qualis est motus rectus: possessio enim centri eius desiderium, & è conuerso colligitur: ceterum motus ille, qui se habet per modum quietis, aut gaudij connaturalis esse potest corpori, quantumlibet in centro existat, motus autem circularis cæli est motus per modum gaudij, & quietis, cum ratione illius cælum totaliter sumptum semper sit in eodem loco, ac centro. Præterea dici potest, quancumque patrem globi cælestis habere pro centro adæquato eorum illud spatium, per quod circulariter mouetur: ac cælum in toto eo spatio semper

non est, & semper extra aliquam eius partem est: ut ergo in toto eo successiue sit, ad illud successiue moueri absque vllâ violentia, & connaturaliter poterit.

Ad secundum respondeo, in primis in eorum sententia, qui cælos esse eiusdem speciei arbitrantur, facile dici posse, quancumque orbem cælestem indifferentem esse adhuc morum, vel ad alium quancumque speciem diuersum, siue ad hoc, quod maiori, vel minori celeritate super hos, aut super illos polos ab oriente ad occidentem, aut è contrario moueatur: ad hanc ergo indifferentiam quoad specificationem, & non solum quoad indiuiduum tollendam angelorum ministerio Deus uti potuit, ac debuit. Ceterum grauius, & leuius non sunt indifferentia ad diuersos motus quoad specificationem, sed quoad indiuiduum: cum ergo solius Dei sit, determinare effectus causarum secundarum quoad indiuiduationem, mirum non est, quod Angeli motus grauius, & leuius non efficiant. Rursus motus lapidis v. g. nullo artificio prædatus est, nihilque admirandi, aut suspiciendi habet; ratione cuius intelligentiæ assignari debeat, aut in ipsum lapidem, tanquam in causam secundam adæquatam reuocari non possit: contra vero credibile non est ordinatissimos illos, ac adeo admirabiles, nunquam tamen satis admiratos syderum ortus & occasus, dierum ac noctium stabiles, ac certas vires, lunæ menstrua curricula, & incrementa, ac decrementsa, anni quadripartitam distinctionem quadripartito elementorum numero congruentem, magnorum orbium in circulos partim annuos, partim sæculares recursum: hos, inquam, ordinatissimos motus, & quosdam quasi temporum versus in inanem cæli substantiam velut causam secundam adæquatam reuocari posse, & non potius tales esse, ad quos Angelorum ministerio Deus uti debuerit.

Præterea probabiliter dici potest, motum, atque impetum supremi cæli, nec non inferiorum cælorum eius naturæ, & conditionis esse, ut quæ admodum supremum cælum inferiores secum rapit, ij etiam illud secum rapere possent; nec esse potiorē rationem, cur vnum potius, quam aliud eueniat, si cæli secundum se spectentur: ut ergo hæc indifferentia determinetur, & ut ita motus cælorum temperetur, ut à supremo cælo ad inferiores, & non è contrario traiciatur, necesse esse, ut Angelus cælestium corporum motibus se se immisceat, eosque ex parte efficiat medio impulsu, quem applicet, aut producat: negari enim nequit, quin ex vario modo adhibendi impulsu orti soleat, quod res sursum, ac deorsum in latera, aut in orbem moueatur.

CAPVT IV.

Motus contrarij an eidem cælo possint conuenire.

21. Motus contrarij bifariam accipi possunt: primum etenim tales dici possunt ij, per quos duo corpora in diuersis locis simul constituantur, quique si eidem corpori conueniunt, illud etiam in pluribus locis spatis simul collocarent: & in hoc sensu motus contrarios eidem cælo

cælo conuenire non posse extra omnem contro-
uersiam est, cum simul, & semel duos locos occu-
pare nequeat. Secundò dici solent motus contra-
rij, qui diuersos terminos à quo & ad quem res-
piciunt, & per quos corpus aliquod ab occidente
v.g. ad orientem, & ab oriente ad occidentem si-
mul mouetur: quòd an accidere possit, quin idem
corpus in duobus locis simul sit, aliudve in-
conueniens sequatur, valde inter Astrologos, ac ali-
quos Philosophos controuertitur, vbi hi partem
negantem, illi verò affirmatiuam acriter defen-
dunt.

22. Enimverò affirmans sententia, quam in supe-
rioribus sæpè supposuimus, in præsentì etiam no-
bis magis placet: quia planetæ omnes motum
diuinum ab oriente in occidentem, & simul ab
occidenti in orientem motibus sibi propriis mo-
ueri, variis experienciis, & obseruationibus
Astrologi manifestè concludunt; quarum aliquas
supra adduximus, cum de numero cælorum age-
remus. Vt enim ibi aiebamus, fieri non posset,
vt planetæ modò magis, modò minus inter se, &
à stellis fixis distarent, vtque puncta, ortus, & oc-
casus in horizonte variarent, si tantum vno com-
muni motu, & per vnum communem circulum
videlicet æquinoctialem, ac super eisdem polos,
scilicet polos totius mundi ab oriente in occiden-
tem tantum mouerentur; & vltèrius propriis, ac
distinctis motibus super polos Zodiaci, ac circu-
lum etiam Zodiacum ab occidente in orientem
minimè cicerentur.

23. Respondent Achilinus, Alpetragius, & alij
aduersarij, cælos inferiores, cum solo motu diu-
no moueantur, videri tamen nobis eos moueri ab
occidente in orientem, contra impetum primi
mobilis: ac proinde planetas omnes cum sint in
eadem distantia tam respectu sui, quàm respectu
fixarum, in diuersa tamen distantia, ac positiua
nobis apparere: nimirum quia orbes inferiores,
quo magis distant à primo mobili, eo tardius
quàm superiores ab oriente in occidentem mo-
uentur. Quam doctrinam hoc exemplo, & qui-
dem, vt iplis videtur, apertissimo declarant: si sint
tres ordines hominum collaterales linea recta dis-
positi, simulque ab oriente in occidentem mo-
ueantur ea conditione, vt homines primi ordinis
celerrimè, homines secundi ordinis tardius, ac
homines tertij ordinis tardissimè currant; certè
procul eos ordines intuenti apparerent homines
secundi ordinis retrocedere ab occidente in ori-
entem, necnon etiam homines tertij ordinis; &
hos lentiori gradu quàm illos; cum tamen omnes
duntaxat ab oriente in occidentem mouerentur.
Similiter ergo cum planetæ inferiores segnus,
ac lentius moueantur ab oriente in occidentem
quàm superiores, eo quod magis distant à primo
mobili, à quo iis communicatur motus: contra
verò superiores concitatiue moueantur ab orien-
te in occidentem quàm inferiores; hi pedetentim
nobis retrocedere videbuntur ab occidente in
orientem, eoque citius quo lentius ab oriente in
occidentem re ipsa mouentur: vnde Luna inter re-
liquos planetas lentissimo gradu incedens, citissi-
mè tamen, ac spatio vnius mensis ab occidente in
orientem retrocedere nobis videtur.

24. At hoc, quod respondent aduersarij, parum,
aut nihil habet momenti: nam, si cæli inferiores
non haberent peculiare motus ab occidente in
orientem, sed propter inæqualitatem motus re-

pedare existimarentur, sanè eiusmodi repeditio,
ac defectio fieret per eandem lineam, nempe cir-
culum æquinoctialem, & circa polos mundi, cum
motus diurnus planetarum ab oriente in occi-
dentem per eum circulum, & circa eos polos re-
cta fiat: vnde omnes stellæ fixæ, & errantes eor-
dem circulos parallelos vltra, & citra æquino-
ctiales semper describerent; ac nunquam Sol, aut
Luna, aliudve sydu puncta, ortus, & occasus va-
riarent, aut vno tempore propius quam alio ad
nostri capitis verticem accederent, aut magis ab
eo recederent, vt nuper argumentabamur. Illo
quoque argumento refelli potest hæc sententia,
quia sol viginti quatuor horis motum diurnum
absoluit, Luna verò vndeicies velocius quàm Sol
ab occidente in orientem repedare videatur, vt
est manifestissimum.

25. Secundò suaderi potest sententia, quam am-
plexi sumus, quia non magis opponuntur motus
ab oriente in occidentem, & motus ab occidente
in orientem, quàm calor, & frigus v.g. at calor, &
frigus ita temperari possunt, vt in eodem subiecto
se compatiuntur, simulque reperi possint: pari er-
go ratione duo illi motus ita temperari, ac modi-
ficari possunt, vt simul eidem cælo possint con-
uenire. Tertio hæc eadem sententia multiplici
experientia suaderi solet: nam si nauis à portu
soluat, & nauita à prora ad puppim tendat, simul
& semel, vt aiunt ab oriente in occidentem motu
proprio, ab occidente verò ad orientem motu to-
tius nauis mouebitur. Similiter musca rotæ assi-
dens ab oriente in occidentem motu totius rotæ,
& ab occidente in orientem motu proprio contra
impetum rotæ mouetur. Rursus, si quis ab orien-
te in occidentem ambulet, & manum retrò ver-
sus orientem extendat, vna eademque manus ab
oriente in occidentem motu totius corporis, ab
occidenti verò in orientem motu proprio, ac pe-
culiari simul mouebitur. Plura alia eiusmodi
exempla adduci solent, quæ certè, ni fallor, rem
concludunt. Nec conspicio, quæ experientia
certa sit, si sensu refragante in prædictis casibus
vnam eandemque substantiam diuersos motus si-
mul subire negetur.

26. Quarto suadetur ea sententia autoritate mul-
tiplici: namque in primis eam tuentur non tan-
tum plerique Astrologi, vt supra prædiximus,
verum etiam Aristoteles, & cum eo Peripatetici
omnes. Eandem etiam sequuntur communiter
Stoici, ac præsertim Seneca in consolat. ad Hel-
uiam cap. 6. ibi: *Aspice sydera mundum illustran-
tia: nullum eorum perstat: labitur assidue, & locum
ex loco mutat: & quamuis cum vniuerso vertatur, in
contrarium nihilominus ipsi mundo refertur. Per om-
nes signorum partes discurret perpetua eius agitatio: &
aliunde alia commigratio est.* Ita etiam sentit Plato
in Timæo ibi: *Ipsorum ergo planetarum corpora ita
fabrefacta, atque composita collocauit Deus ad mo-
tus, & circuitiones, quas alterius motus deducit se-
ptem quidem illas, quum & ipsi planeta sint septem.*
Collocauit ergo illos; lunam quidem in primo, qui circa
terram est, orbem: solem in secundo à terra: lucife-
rum, & eum qui Mercurio est sacer, in iis, qui pa-
ri celeritate qua solis orbis mouentur, contrariam ta-
men ei obnixamque se se mouendi sortiti sunt potesta-
tem: eaque conuersione, quam inter se habent Luci-
fer, Mercurius, Sol, alij alios vincunt, vicissimque
vincuntur. Et paulo infra: *Quando igitur vnum-
quodque eorum syderum cursum decorum est ade-
ptum,*

ptum, à quibus erat motus temporis consignandus: & colligata sunt corpora animalibus vinculis, tum animantia orta sunt. Ea verò demandatum munus didicerunt, eiusque parere imperio, & prescriptum obedire; tunc ex alterius natura motione transuersa, atque obliqua in eiusdem natura motum incurrentia, in eoque herentia, atque impedita: quippe quæ princeps esset, atque primaria, & firmiori potestate: quum alia maiorem lustrarent orbem, alia minorem: tardiusque maiorem, celeriusque minorem: momento verò vnius, eiusdemque natura, quæ velocissime movebatur, ea celeritate vinci à tardioribus, & cum superabant, superari videbantur: omnes enim orbis quasi spiræ in flexione vertebat, quod bifariam contrarius motibus progrediuntur: ut quod esset tardissimum, id proximum fieret celerrimo. Ac denique haud ita post: diuini autem singulis duo genera motus attribuit; (Deus scilicet) vnum, quod semper esset in eodem aque, & idem in omnibus, atque de iisdem rebus sibi ipsi consentiret: alterum, quod in antiquam partem è cōuersione eiusdem & similis pelleteretur. Platonem non tantum sequitur, sed penè transcribit Cicero de viuerso, atque in eadem, quæ uterque opinione sunt ceteri Academici.

27.

Quod caput est, id ipsum opinantur passim Ecclesiæ Patres, & in primis Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 8. ibi: quemadmodum si rota vehemens feratur impetu, formica contrario ipsi motu ingreditur nihil tantopere promouet (nam rota celerrimo, rapidissimoque motu superatur) ita & errantia sidera se habent, si cum inerrantium motu comparentur. Et Anselmus de concordia præsc. & præd. Dei, in hæc verba: item si consideremus solem sub eadem parte cæli, cum semper cælum lustrando ad eandem partem festinet: videmus quia idem locus est à quo recedit, & ad quem accedit, & indefinenter ei eodem tempore appropinquat, & elongatur. Patet etiam cursum eius non ignorantibus, quia si cælum consideremus, semper transit ab occidentali parte ad orientalem: si verò terram attendimus, nunquam nisi ab orientali ad occidentalem: & sic semper contra firmamentum vadit; & licet tardius, cum firmamento. Quod ipsum in omnibus planetis cernitur.

28.

Deinde id ipsum reperit Anselmus libro 1. de imag. mundi cap. 24. ibi: septem stelle singulis circulis contra mundum feruntur, & ob vagum cursum planeta, id est erratica dicuntur. Ha immensa celeritate firmamenti ab oriente in occidentem raptantur; tamen naturali cursu contra mundum ire comprobantur: sicut musca si in rota molendini circumferatur, ipsa tamen proprio motu contra reuolutionem eius ire videtur. Et ibidem inferius: luna, licet quotidie violentia firmamenti ab oriente in occidentem feratur; tamen contra mundum nitens omnia Zodiaci signa 17. diebus peruagatur: circulum autem suum in 19. annis perambulare affirmatur. Et nonnullis intercis: quartus planeta est sol, & hic ab oriente in occidentem impetu firmamenti fertur: sed contra mundum nitens per totum Zodiacum 365. diebus gradiatur: circulum autem suum 18. annis perambulare traditur. Ac denique ibidem: septimus planeta est Saturnus, qui & Phaëton, Sphæricus, gelidus contra mundum, ut inferiores regiones, gradus signiferum triginta annis percurrit. Anselmum, & Isidorum sequitur, ut alios Patres prætermittam, Damascenus libro 2. de fide

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

capite 7. ibi: cælum affirmans, ab exortibus in occasus moneri: planetas verò ab occasu in exortus: & cælum sui ipsius motu quàm ocissimo circumferre septem planetas. Constat autem ex modo, quo se alibi explicare solet, cum ex propria sententia loqui non obstante ea particula, affirmant.

29.

Quintò, & postremo suadet eadem sententia: quia si qua ratione duo motus, ad orientem alter, alterque ad occidentem eidem corpori cælesti, aut etiam sublunari simul conuenire non possent, maximè quia sequeretur, eorum vi corpus idem in diuersis locis simul constitutum iri. At quod hoc non sequeretur, facile explicari potest in Aristotelis de compositione continui principiis: iuxta ea namque in tempore, & loco sunt infinitæ partes indeterminatæ. Quamuis autem mobile in pluribus partibus temporis indeterminatis, seu proportionalibus nihil spatij acquirat, non ob id tamen dicitur quiescere, cum quies, si propriè loquamur, sit assignari posse partem aliquam determinatam temporis, in quo mobile nihil spatij de nouo acquirat. Rursus, esto mobile plures partes spatij indeterminatas, seu proportionales motu suo non attingat, nihilominus rigorosè fando haud transiliet de extremo ad extremum sine mediò, nec saltus vllus etiam exiguos efficiet, cum saltus propriè tales dicantur in ordine ad solas partes temporis determinatas: atque nisi hæc ita sint, haud ita facile poterit explicari velocitas, ac tarditas motuum sine morulis, & saltibus: quo tamen nihil absurdius. Supposita ergo tota hac doctrina, quam vberius tradidi supra lib. 3. tract. 8. cap. 3. & alibi sæpè, cum cæli ab oriente in occidentem, & simul ab occidente in orientem mouentur, eorum motus illi contrarij non respiciunt eandem partes indeterminatas temporis, & loci: vnde per eos cæli in diuersis locis simul non constituentur.

CAPVT V.

Calorum lumen, & influxus in hæc inferiora.

IN primis lucem calor. um, corporum etiam sublunarium haud esse formam substantialem patet aduersus aliquos, quos refert B. Thomas 1. p. q. 67. art. 3. quia alioqui aer v. g. quoties à sole illuminatur, duplicem formam substantialem, videlicet formam aeris simul & semel haberet. Deinde nec lucem esse corpus contra Empedoclem relatum ab Aristotele 2. de anim. cap. 7. exinde constat, quod alias duo corpora penetrarentur, cum lux experientia teste penetrari soleat cum corpore diaphano, quod illustrat. Quæ cum ita sint, lux suapte natura qualitas quædam accidentalitatis est, à quatuor primis, calore scilicet, frigore, humiditate, & siccitate distincta, iisque nobilior.

30.

Secundò statuendam est contra Albertum, Richardum de Media villa, Aigidium, & alios, lucem astrorum non differre specie à luce corporum inferiorum: nec à fortiori lucem vnius astri, à luce alterius. Ita B. Thomas in 4. distinctione 44. quæstione 2. articulo 4. & ratio est: quia non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: at quæ necessitas est in præsentibus

31.

G g distinctionis

distinctionis specificæ? si qua enim, maxime quod sydera tum inter se, tum à corporibus sublunariis specie differant: at hoc non tollit, quominus eandem specie lucem sortiantur: quo pacto homo v.g. & equus quamvis diuersi specie quantitatem tamen specie minimè diuersam sibi vendicant.

32. Tertiò statuendum est, astra non de suo omnino lucere, sed lumen à sole mutuari. Ita de luna perspicue Anselm. in lib. de imag. mundi cap. 24. ibi: *Luna est primus planetarum, &c. Huius corpus est globosum natura igneum, sed aqua permixtum: unde & proprium lumen non habet, sed in modum speculi à sole illuminatur.* Et quidem hanc esse naturam lunæ suadet: tum quia quid aliud esse potest eius eclipsis, quàm eam interiectu telluris priuari lumine, quod à sole accipit: tum etiam, & eodem redit, quia lunam crescere, & decrescere, modoque magis, & modo minus illuminari, variasque figuras induere pro varietate aspectuum solis, multiplicitate ab eo distantia, & indistantia, an non etiam arguit, eam à sole lucem emendicare? Vide P. Compton. d. 2. de cœl. sect. 3.

33. Quartò denique statuendum est contra Durandum in 2. distinct. 14. quæst. 1. lucem omnem esse per se, ac sponte sua productiuam caloris. Probatur primò ex Aristotele 1. Meteor. cap. 3. ubi id sentit: eius autem sententiam plerique alij sequuntur. Secundò, quia calor solis experientia demonstrante calefacit: ergo & lux cæterorum astrorum: quippe quæ maiori ex parte à sole deriuatur: si qua vero ab eo originem non habet, certè ea cum luce solari eiusdem est speciei, vt supra constitutum. Quod autem Saturnus, & alia astra refrigerent, non obstat: quia cum lux, quam producant, exigua sit, parum ac modicissimè calefaciet, & sic quominus astra, à quibus diffunditur, valde refrigerent, impedire non poterit.

34. Quod attinet ad influxum cœlorum in hæc inferiora, nihil eo siue autoritate, siue experientia magis testatum, compertumve. Auctoritatem pro eo Philosophorum, ac Patrum citant, qua solent eruditione Conimbricenses lib. 2. de cœlo cap. 3. quæst. 2. art. 2. nec est certè qui dissentiat. Quod autem experiamur passim eiusmodi cœlorum influxum, quis neget? Experimur certè, & quotidie cernimus noctu magis quàm interdiu, & æstate magis quàm hyeme nos calefcere: vno anni tempore pluuias, ac ventos, alio tempestates existeret: vno tellurem florescere & virere, alio flores, & virorem amittere: nunc eam fructibus abundare, nunc infructiferam esse: quæ omnia à sole, eiusque motu annuo proficisci euidentissimum est. In superioribus etiam ostendimus solem absente igne ignem in materia vltimo disposita producere: ab eo & aliis astris effici animalia, quæ non ex coitu maris, & fœminæ, sed ex putrefactione telluris generantur: eundem conuertere secum Scorpiuri, & heleotropij flores.

35. Quod ad solem minorem, siue lunam attinet, supra etiam in loco demonstrauimus, eam motu suo causare æstus, & reciprocaiones maris. Ea etiam creditur pituitam augere, sicut & Mars flauam bilem, & Saturnus melancholiam, & Sol, ac Iupiter sanguinem. Et quidem Medici diligenter obseruant periodos lunæ ad corpora no-

stra ritè curanda: quod signo est, eam, ac reliquos planetas in humores nostros non parum dominari. Quid plura? nonnè Astrologi futuras tempestates, morbos, sterilitates ex variis syderum aspectibus, ac moribus prædicunt: tales ergo effectus ab astris dependent. Tandem in superioribus explicuimus, non alia de causa naturam tantopore abhorre vacuum, nisi quia illud influxum cœlestium corporum in hæc inferiora ad eorum conseruationem necessarium impediret.

36. Quod spectat ad virtutes, quibus influunt cœli in hæc inferiora, ex dictis constat in primis, quod influunt per motum, & lucem. Sanè ex multiplici accessu, & abscessu lucis, motuque solis vtrumque efficiente creantur dies, noctesque, æstates, & hyemes, verque, & autumnus; nec non tot alterationes, generationesque substantiales, quæ à prædictis temporum vicissitudinibus dependent. Adde lunam motu suo, & ignem elementarem, & huius interuentu aërem ciere, ac secum in gyrum agitare. Quamvis autem hæc in se habeant; at contra Picum Mirandulam, Georgium Agricolam, Medinamque, & quosdam Arabes apud Conimb. supra quæst. 13. art. 1. firmissimè tenendum est cum cæteris omnibus Philosophis, cœlestia corpora per alias occultas qualitates à motu, & luce distinctas influere in mundum istum inferiorem. Etsi namque cœli mediante luce motuque calefaciant; cæterum frigiditas, humiditas, siccitas, quas cœli influunt, quæ possunt ab eorum luce, & motu prodire?

37. Quod enim aiunt Picus, & alij aduersariorum, calorem cœlestium causare frigiditatem, necnon cæteras primas, & secundas qualitates: quare omnes mediæ oriri à luce cœlesti: quippe à qua calor cœlestis efficitur: hoc inquam absurdissimum est. Calor namque cœlestis, cum verè calor sit, opponitur frigori, illudque destruit: non ergo producit. Tum etiam eiusmodi calor est eiusmodi speciei tum calore sublunari; vt de cœli, soli, que luce supra in simili dicebamus: quam ergo nequit vnus, tam non potest alter frigiditatem causare. Rursus quod alij respondent, lucem vt instrumentum vnus syderis producere frigiditatem, vtque alterius instrumentum calefacere, & pari ratione, ac proportionem ad cæteras qualitates se habere, haud magis probabile est: quæ enim probari, crediue potest, in vna luce tot, tamque contrarios effectus contineri? Ac quidquid de hoc sit, quid dicent aduersarij ad metalla ab astris producta in visceribus, latebrisque terrarum, quo nec eorum motus, nec lux descendit: quid ad fluxus, refluxusque maris à Luna in alio hemisphærio existente, & nec lucem, nec motum huc transmittente causatos? quid ad magnetis, acusque eo attrita conuersionem ad polum arcticum, etiam ubi nihil est lucis, ad quam possit id prodigij reuocari? quid denique ad innumerabiles alios effectus, qui nisi per occultas quasdam qualitates nulla ratione possunt à cœlis emanare?

38. Porro autem, vt ad motum quo, etsi non soli, cœli influunt, reuertar, eum partim necessarium, & partim non necessarium arbitror, ad id vt corpora sublunaria à cœlestibus, siue localiter, siue alio modo moueantur, & immutentur. Ex parte quidem necessarium, quia nisi mouerentur cœli, & sydera, quis non videt quadripa-

citiam anni distinctionem, mirabilem illam alterationem, ac seriem generationum, & corruptionum ex ea distinctione dependentem, fluxus, & refluxus maris, aliosque non paucos effectus, de quibus supra, illico cessaturos? Atque ideo certe dixit Plato in Teæreto: quousque solis circuitus perseverat, omnia tam Deorum, quam hominum sunt, atque servantur. Sin autem hic quasi ligatus staret, confestim omnia dissoluerentur, eueniretque quod dicitur, sursum deorsum omnia. Ex parte etiam non necessarium: quia ut verbigratia ignis immotus vrit, & aqua infrigidat: similiter, quin moueatur, utque etiam magnes sine vilo motu suo præuio ferrum attrahit; cur etiam cæli, licet non mouerentur, non possent nihilominus in hæc inferiora operari? & quidem quod possent, tuentur Scotus in 2. distinctione 14. quæst. 3. Argenti- na ibidem art. 2. Richardus de Media villa dist. 3. circa 3. princip. q. 5. & Durandus in 2. dist. 15. quæst. vlt.

39:

Pari ratione dicendum est, cessante cælo-

rum motu, & operatione in corpora subluna- ria, quasdam horum actiones cessaturas, & quasdam perseveraturas. Cur enim nihil in- fluente, aut operante cælo, lapis non rueret in centrum, candor non immitteret species, lumi- nosum quoduis lucem longè, latèque non diffun- deret? At verò cum sol, & homo generent ho- minem, quomodo posset homo per se loquendo, sine concursu solis hominem generare? Quum etiam probabile sit iuxta dicta superius lib. 4. tract. 7. c. 2. quamuis etiam generationem substan- tialem, licet non sit viuientis à viuente, sed non viuientis à non viuente sibi simili verbi gratia ignis ab igne vendicare sibi, ut causam efficien- tem partialem cælum, ac sydera; horum deficien- te influxu, an non necessario deberet deficere, & intermitteri? Demum si ipsamet terra rectè dispo- sita in visceribus suis producit metalla auri, argen- ti, &c. cum ad ea producenda non sufficiat se sola, & non concurrentibus corporibus cælestibus, quomodo, quæso, possit sublato tali concursu ta- les, tamque nobiles effectus producere?



LIBER DECIMVS,

DE

Corpore naturali animato, siue viuenti.

TRACTATVS PRIMVS.

De Vita incommuni.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Vita?

I.

COMMUNIS; & recta methodus postulat, ut in explicandis rerum generibus ab imperfectis ad perfectiora gradus sit: vnde explicato corpore corruptibili, prout ab animato, & inani- nimi abstrahit, necnon corpore incorruptibili, & cælesti, quod animæ omnis expers est, tantum su- pereest, ut corpus animatum, ac viuens, utroque perfectius explicetur: id autem commodius fieri nequit, quam si de vita incommuni; deinde de vita corporis, siue anima corporea; mox de vita vegetatiua; ac tandem de vita sensitiua si- gillatim, ac suo ordine agatur. Hæc ergo qua- tuor tractatibus complectar, quibus absolu- tis tota huius libri series, necnon vniuersa Physica finem sunt habitura. Porro autem ut ad titulum capiti huic præfixum propius acce- dam; non omnia proprie viuere, sed aliqua hac prærogatiua carere omnes tanquam lumi-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

ne naturæ notum supponunt, vbi in serie præ- dicamentali substantiam in viuentem, & non viuentem discescunt: idque etiam tanquam indubitatum edocet Magnus Augustinus in li- bro 65. quæstion. quæstione 26. ibi: *creatura plus scilicet videtur in arte, qua facta est, quam ipsa in se ipsa, qua facta est: propterea enim ait Euangelista Ioannes: quod factum est in ipso vita erat: omnia ergo, qua facta sunt, & vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in seipsis vita non sunt: cælum, terra, lapis vitam non habent, & tamen in Deo vita sunt.* Ut autem Philosophi, præsertim Recentiores viuentia à non viuentibus discernant rationem quandam vniuocam vitæ ut sic commi- niscentur, in ea que explicanda nemo eorum alte- ri, nemo sibi consentit, ut vel hinc perspicue ap- pareat, eam fictitiam esse: quocirca anteaquam vitam per eius species explicem, communem il- lam rationem prius euertere libet nonnullis argu- mentis, quorum primum sit.

Vita physica, qua Plantæ viuunt, est pro- prie vita, ut capite sequenti constabit: & vi- ta intentionalis, qua cognoscimus, & volumus, est

21

G g 2 etiam